DUCTORE DOMINO JEHOVAH!

ABOA

VETUS ET NOVA,

PERMISSU SUPERIORUM,

Sub

SPECIMINE PUBLICO,

In Regia Academia, quæ est

ABOÆ,

Moderatore,

Celeberrimo atque Præclarissimo,

DN. M. JOH. BERHN. MUNSTER,

Philos. Pract. & Hist. Prof. Ord.

In gratiam eorum, qvi incolunt

ABOAM,

Nec non conterraneorum omnium,

descripta,

& bonorum censuræ expositа,

die 12 Maji, Anni 1700,

horis & loco solitis,

à

S. R. M. Alumno,

DANIEL D. JUSLENIO,

Borea-Fenno.

Exc. Jo. Wallius.

Justitiæ cultu, Legum perit
Civitatis nostræ Ab. CONS

DN. LAURENTIO WILSTADIO.

Nec
Claritate, Doctrina &
DN. DN. MAGISTRATUS UR
UNIVERSIS &

Cum seqventes pagellæ ea contineant, qvæ ad inclytæ urbis ABOÆ Descriptionem facere mihi visa sunt, & VESTRARUM AMPLISSIMARUM DIGNITATUM, certæ æqvitati, tanta eam incolentium multitudo sit commissa, spectatæ fidei tanta bona, atqve probatæ prudentiæ tam gravis pro-

VESTROR. VESTROR. AMPLISS:

Cultori obse
DAN.

RIS
& æqvitatis fama insignibus,
LIBUS Consultiss: Graviss.
DN. ANDREÆ
PRYTZ.
non
Prudentia, Spectatissimis,
RICI SENATORIBUS,
SINGULIS.

provincia, amplæ Civitatis moderamen; rogo, velitis, benigne ferendo, AMPLISSIMIS NOMINIBUS VESTRIS, eandem depictam dicari, SPECTABILI DIGNITATE VESTRA Auctorem, contra malevolos, si qvi essent, tueri; atqve, precanti Vobis, perennem, in commodum civitatis maximum, felicitatem, favere, indesinenter permansuro,

ET HONORATISS: NOMINUM

qventissimo
JUSLENIO.

Inclytis
Pietate, Æqvitate, Claritate, Scientiis
atq; Doctrina, Dominis:

Plurimum Reverendo & Clarissimo,

DN. M. JOHANNI THURONIO,

Pastori Cangasalensium longe meritissimo, viciniæ Præposito dignissimo, Benefactori Insigni, Patrui nomine, & summo semper cultu devenerando.

Amplissimo & Consultissimo,

DN. HENRICO JUSLENIO,

Territorii Nöteburgensis Judici æqvissimo, ut Fratri optimo & honoratissimo, ita humilimo affectu profeqvendo.

Perqvam Reverendo atqve Clarissimo,

DN. ABRAHAMO JUSLENIO,

Pastori Ecclesiæ Someroënsis vigilantissimo, & adjacentium adcuratissimo Præposito, Germano amantissimo, reverentia maxima colendo.

Multum Reverendo Clarissimoqve,

DN. M. ABRAHAMO THURONIO,

Animarum, qvæ in Rimito DEO colliguntur, Pastori fidelissimo, Patrueli propensissimo, nunqvam non veneratione summa afficiendo.

Clarissimo nec non Percelebri,

DN. M. GABRIELI JUSLENIO,

Regiæ ad Auram Academiæ Secretario perinduſtrio & laudabili, jure Fraternitatis faventissimo, humilimis obseqviis ætatem demerendo.

EN prodit tandem, Viri Celeberrimi, prodit quod diu optastis videre, aliquod scil. a me specimen; cujus moras sæpius incusaviſtis. quamobrem, ne verecundia mea ex imperitiæ conſcientia profecta, ſi tempus extrahat longius, in ſpretæ benignæ monitionis Veſtræ contumaciam ducatur; Vos in vanum tot in me cumulaſſe opera favoris, ceu ingratum, videamini; & Ego immorigeri, adverſus tantos Benefactores, nomine noter: ſuſcepi hanc edendam Aboæ deſcriptionem; magis Veſtri obſequio, quam alia inductus cauſa. Idcirco, cum minus exſpectationi Veſtræ, me ſufficere obſervetis, in pectus, quæſo, gratioſe demittite, me, ut iſtam effugerem culpam, moras nexuiſſe: jam autem lubentius errare, dum juſſui Veſtro obedire animus eſt, quam non obſequendo bonitatem offendere. præterea, ut paupertas liberalium artium noverca, etiam fortiſſimos deprimit; ſic ego tela ejus expertus ſum geminata: partim quidē ipſius ſenſu, ſupellectilis librariæ, & aliarum rerum copia carens: partim, & id magis, timore accreturæ inopiæ, & nunquam me deſerturæ. quæ cogitatio, (quod ægra adhuc mente fateor) adeo me ſæpe a ſpe, per liberales artes emergendi dejecit; ut pene indignas judicaverim literas, in quas, tantus, cum perpetuo mœrore, inſumeretur labor. at Veſtris, O Evergetæ incomparabiles,

ſub-

ſubſidiis, tam opum, qvam inſtitutionis, ſvaſus & exempli, in Muſarum hucusqve qvadantenus perduravi caſtris: nunc militiæ iſtius experimentum facturus, in qva, Vos, *egregia qvondam facientes ſtipendia, in Anteſignanos & diverſe turmarum ductores conſtituti, benigne, rogo, mihi jam concedatis, qvod* Veſtrorum *Nominum inſcriptione, ceu vexillo animoſior in campum deſcendam. & interea, ex favore, non ad meritum judicate, eumqve conſervate laudatiſſimum affectum, qvo ſemper me proſecuti eſtis: ſicut ſummum mihi erit propoſitum, qvoad vixero, merito nuncupari ut poſſim*

Veſtrarum

Pl. Reverend. Conſultiſſ.

Perqvam Reverend. ac Clariſſ.
Dignitatum

Humillimus famulus

DAN. JUSLENIUS.

Gförgripelig Tancka/

Öfwer min Yngste Broders

DANIEL JUSLENII,

Första Sinnes-Afwel/ eller den af honom/ på Tryck utfärdade ÅBO Stadz/ så Innsom Utwärtes Beskrifning/ yttrad i Nyen den 10 April, 1700.

Jag fägnar mig min Bror/ at du dig kunnat trängia
Uhr fattigdomens dyy/ och mootgångz böllior fram/
Så långt/ at du kan gee til Prof ett Papper-Kram/
Hwar medelst Namnet ditt/ i Lärdas Hoop blijr mångia.

Sant är/ det ÅBO Stadh för andra bör berömmas;
Emedan Wijßheten sin Födzle-Ort där har:
Då'n Fru Europa fått mång Lärd och nyttig Kar:
Ja Finn- och Ingrars Land med högsta Rätt der dömmas.

Sär-

Särdels har ÅBO sig högsta prijs tilägna/
För et deß wåna Barn/ som Dygden amnat opp/
Och Lyckans HERRE bracht til åhrans högsta topp/
Af hwilkens trogna Rådh Kong CARL sig plågar sägna.

Men når mitt Sinne månd' på det ålende tänckia/
Som ÅBO offta hänt af Hunger/ Eld/ och Swärd/
Af Pestilentz/ med meer/ som/ hwad mång tusend wärd/
Har ödelagt/ och ånn mång ädla Hiertan kränckia;

Så finner Jag/ och troor/ at ÅBO fram för alla/
Sin GUD sig nådig har/ som i slijk Ångsle-flod
Ey lämnat dem/ men stärckt med Gudligt tolamod/
Då han med nådig tuckt dem wil til bättring kalla.

Jag

Jag önskar de må få/ af slijkan Nåd berömma
Sig framgent/ at wår GUD ey wred men Nådig är:
Och som Jag weet det skeer/ så upfyls mitt begär/
Och de sielf säkra/ at GUD dem ey meer kan glömma.

Til Slut/ Farwäl min Broor! tag til i goda Seder/
Som å' oskrymtade/ och haa Guds Ord til grund/
Fast du däß medelst lär anfächtas margelund/
Doch blijr du Salig död/ och lägz i Graf med Heder.

Af

HEINRICH JUSLENIUS
Häradzhöfdinge i Nöthe-
borgz Lähn.

EIDEM:

URbem tu laudas patriam, teque illa viciſſim,
Cujus laudatæ es Frater amande Cliens:
Namque ſuæ cupiunt urbi bona cuncta coloni;
Civibus inde ſtudet non minus illa ſuis.
Ædificant urbem cives, ſtructamque tuentur;
Civibus hæc ſedes tectaq; tuta parat.
Ut terram fructus ornant, his illa decorem
Addit; mutuus his ſic quoq; creſcit amor.
Quo ſeges uberior, tanto eſt optatior ager;
Scilicet ex fructu eſt terra probanda ſuo.
Hinc igitur merito laudatur ABOA, ſecundo
Provenit heic etenim Numine larga ſeges.
Heic ſacer eſt Doctor, Judex, Medicusque, Sophusque,
Mercator, Miles, Scriba, Studens, Opifex.
Inter qvos Frater, juſtas dum ſcribere laudes
Huic ſtudeas urbi, laus quoque parta tibi eſt.
Fertilitate ſua tu dignam laudibus illam
Cenſes; te fructum judicat illa bonum.
Vive pius, felix, terreſtri civis in orbe,
Incola cœleſti donec in urbe cluas!

ABRAHAM JUSLENIUS,
Præp: & Paſtor in Somero.

An
Dem Herrn Brudern/
RESPONDENTEN;
Als Er die deutliche Beschreibung
seines Vaterlandes/
So biß her von Wenigen in Acht genom̃en/
Außgegeben.

In zweyfachs Ubel ists/ was uns zur Nützel meiden;
Was ringer ist am wehrt/ durch Schweiß und Blut verstehn;
Wie Stambol ist gebaut; wo Rha und Ganges gehn:
Einheimisch fremde seyn/ daheim bey alten Heyden.

Das Erste Schaden bringt/ das Letzte wenig Gaben:
Der Mogol nährt uns nicht: das wehrte Vaterland
Es giebt uns Tuch und Brodt: hier fehlt auch nicht Verstand:
Was uns das Leben giebt/ muß ersten Preise haben.

Das Erste nimstu recht (weg Tadel nun von hinnen)
In Acht mein Bruder! daß dir auch nicht unbekant
Das Letzte sey/ es giebt dein wahres Blatt bey hand;
Wer zweifelt/ wird allhier der Warheit werden innen.

Drum wird ein zweyfach Lohn dir inerdar auch währē/
So fern nicht Warheit leugt/ die Ehr Entlehnung seyn;
Du Ehr'st dein Vaterland; es willigt gerne ein/
Ist dein' gewärtig sein die Ehre und das Nähren!

GABRIEL JUSLENIUS,
Acad. Secr.

Tacite le plus ingenieux des écrivains en un certain endroit de ses écrits comble de louanges Helvidius pour s'etre adonné aux études les plus relevées, c'est par ce même moyen MONSIEUR *que vous faites éclater vôtre merite au dessus du commun, car à peine daignés vous de vos regards certaines applications basses & communes qui ne servent que d'amusement aux esprits foibles & peu eclairés : mais parmi tout ce qu'il ya de plus louable dans vos scavantes occupations je n'en trouve point à mon avis qui soit plus digne de l'applaudissement universel de tous les beaux esprits que le zele que vous faites paroitre envers vôtre chere patrie, car sans vous amuser comme une infinité d'autres â la recherche de l'état et prerogatives des pais eloignés en ignorant bien souvent les qualités de celui qui leur a donné la naissance, vous commencez par où il faut c'est â dire par cette ville capitale d'* ABO, *qui étant le premier lieu où vous avez commemé non seulement à vivre mais qui plus est à bien vivre, merite bien les primices de vos études et la preference en vos loüanges. Poursuivez donc* MONSIEUR *sans vous arrêter en une si belle carriere & soyez assure que vous ne scauriez manquer d'arriver au but au quel la vertu vous appelle, qui est la gloire, seule & unique recompense des esprits bien faits, c'est ce que vous souhaite du fond du cœur*

Votre tres humble & fidele
Serviteur
AND. Loskiold.

DIRIGENTE DOMINO JESU!

ADmiratione Te capi L. B. *minime est mirum; cum cernas mihi tantam incumbere laboris molem, quanta artubus vel robustioribus perfici rite neqviret: aggravante onus ipsa antiqvitate, qua pleraqve ad hanc materiam spectantia obliterata atque sepulta jacent: cujus causa, iniquitas est fortunæ, arcem Custoensem A. 1439 incendio perdens: in qua, tanquam Ducali Archivo, omnia, non solum Aboicas, sed totius Finlandiæ res attingentia, recondita habebantur documenta. Accessit præterea superba exterorum invidia, nihil ultra suæ regionis terminos, præsertim iis in locis, qvæ oculis non subjecerant, nihil humani reperiri, stolide existimantium, suasqve casas, super nostras extollentium turres: qvalia aliqvoties audiens ipse expertus sum; & idem, unicuique, studio partium non affecto, satis elucere puto. Hoc igitur opus, qvamvis valde sit grave, attamen aggrediar, ea intentione, ut qvædam de dulcissimæ Patriæ rebus, pro modulo ingenii proferam, earumq;*

memoriam ab interitu & adversariorum contemtu vindicem, si vires concesserint; ostendendo, provida rerum matrem Naturam, & hic, sub gelido septentrionis axe, non defecisse; nec nostratibus antiquis fungum, ut ajunt, dedisse pro cerebro. Quos conatus, ut singulis bonis Patriotis placere scio, siquidem ex bono prognatos affectu, etsi defectus in effecto displiceant; ita eosdem, apud Finnicæ nostræ, ceu vilis objecti, calumniatores, mihi odium & obtrectationem parere certus sum. quapropter B. L. quocunque compellandum nomine, quam par est, officiose rogatum volo; ut me suo favore tueatur & reficiat: candide considerando, non inventum esse qui omnibus arrideat: nec quenquam natum doctum: etiam in optimis haud reperiri non deficientem; eoque minus a me, ceu tyrocinium posituro, doctorum exspectari posse sufficientiam; quam explendam fortioribus relinquo, contentus, dum suavissimæ Patriæ Metropolis Aboæ descriptionem aliqualem in lucem edere queam, & quæ hic notatu digna occurrunt exponere; idque Geographice, Historice, & Politice: ejus scilicet conspectui dando situm & faciem: enarrando antiquitatem atq; sortem: deniq; ostendendo mores ac statum, non pristinum magis, quam hodiernum. proinde includes

CAP.

CAPUT PRIMUM

Topographiam Urbis Aboæ.

§. I.

ABOA Magni Ducatus Finlandiæ Caput eſt. Svecis Åbo/ ſeu *amnis accola*, ob præter fluentem dicta; Fennis autem Turcu/ quod, *rerum venalium Forum*, Latine ſonat. Sita in ultimo regionis angulo, occaſum ſpectante brumalem; ubi bini ingentes illi Bothici maris ſinus, Bothnicus & Finnicus ſuas commitrunt undas: ſub Lat: 61 gr: 13 m: & Long: 41 gr: 35 m: poſito Merid: 1. per mediam Grönlandiam; 46 vero gr: 40 m: in Aſoribus; at 38 gr: collocato eo in monte Pico inſulæ Tenariffæ. clima habens 14, Paral: 28: unde dies nobis longiſſimus eſt horarum 19, & non niſi crepuſculum noctibus æſtivis ſolſtitio proximis, ſole, ultra 5 gr: infra Horizontem noſtrum, non deſcendente. ſalubri gaudet aëre (*a*): qvem creberrimi ſubſolani & boreales venti, nimium qvoq; æſtum prohibentes ſerenant: qvamqvam & præterea venenoſis exhalationib⁹ non inficiatur; cum & tellus hæc præter unicam cicutam, & illam

(*a*) *Phil. Hon: Theſ. pol. de ſtatu Reg. Svec. c. 1.*

lam prope urbem raro inventam, nihil venenoſi gignat: nec regio noſtra virulentis animantibus ſit infeſta, & ſalubres inſuper ubiqve habeantur aqvæ.

§ 2. Commodus eſt locus. ſolum alibi ex arenæ, alibi argillæ mixtura firmum, ad moles ædium ſuperſtruendas valde aptum; ſiqvidem & palis, vi intruſis, cedit, & impoſitum pondus naturali firmitate ſuſtinet, fodiendis qvoqve cellis inſervit, non relabens in foſſam a latere humus, ſed immota operariis inſignem præbens commoditatem: Nec minimam hortorum faciens utilitatem; qvos exiguos, aut intra ædium ſuarum ambitum, aut juxta easdem, multis prædicata terræ hujus fertilitas (a) unumqvemqve colere docuit: præter pomaria, qvorum qvædam extra domorum continentiam, qvædam etiam intra viſuntur. Unde tanta, & exteris

(b)

(a) *Laur: Paul: Goth. L. 1. c. 26. Cluv: L. 3. c. 21. Coſm: Munſteri c. 34 L. 4. Geogr: dela Croix, part. 2. cap. 8. Andr: Buræus in deſcr: Svec: p. m. 54. Mart: Zeillerus in deſcr: Sv. p. 29. Nob: Gyllenſt: ante Wexion: dict: Deſcr. Svecia L. 7. c. 6. Log. Thur. in dedic.*

laudata oritur amœnitas: (b) addita agrorum vicina & læta humilitate, nec non eminenti montium supercilio; qvibus civitas hæc ferme tota continuis vallata est, præter exigua, inter cautes, tot spatia, qvot hominibus viæ, extra urbem ducendæ, necesse erant terrestres; qvarum qvælibet portam habet. *Aura* amnis mediam intersecat urbem; & dividens eam in *partes orientalem* seu *majorem*, & *occidentalem* seu *minorem*, ad arcem mari se miscet.

§. 3. Ædificia non tam altitudine hic claruerent, qvam amplo & decenti, qvod occupant, spatio: unde ad invehenda qvæcunqve, major, qvam in anguſtis oppidis, nascitur aptitudo: cui tamen sua elegantia conjuncta, majorem gratiam conciliat: plateæ qvoqve & viæ publicæ satis sunt latæ; nec minima ferme earum, tam arcta, ut currus in ea vel maximus, provehi neqveat.

§. 4. Verum ut facilius totius urbis habeatur facies; singulos ejus tractus, in qvos commode dividi potest, paucis delineandos sumamus. Nec incongrue ordimur a *parte ori-*

(b) *cit. Zeill. p. 87. & ab ipso adductum Itiner: Lib. Bar: de Mœrsburg.*

orientali; ibiqve a tractu illo, qvi septentrionem spectans, ab amne ad *portam Tawastensem* porrectus, vulgo Wenäläisten Mäki Fin audit, Ryßbacka Svet: Latine *Russorum Collis*, dici potest: instar tumuli enim a parte interiori incipiens, in montem crescit, ac in præceps magis desinit foras. denominationem illam autem unde nactus sit, haud liqvido constat; nisi qvod conjicire licet, statuisse in hoc colle sua fortalitia Moscovitas, dum A. 1318, & aliqvoties antea, urbem diripuerant, non dum ea tempestate, in tantum spatium extensam, ac nunc complectitur. Hic tanqvam in suburbio, qvi minorum sunt facultatum, consederant, exilioribus etiam utentes domiciliis, iisqve non nisi ligneis. qvædam tamen ad ripam ædificia conspiciuntur, a superioris sortis hominibus decore extructa & inhabitata. nihil qvidem præterea, hoc in tractu se offert memorabile, nisi insignem *molendinorum* referam *alatorum* numerum, per montem hunc, sicut & alia editiora in civitate loca in universum 84 dispersorum, sane non parum decoris eidem conciliantium.

§. 5

§. 5. Excipit hunc ad brumalem ortum, tractus, a paludoſo qvodam exiguo loco, in medio ejus ſito, denominatus Mätäjärwi/ qvod Latine verſum *Lacam putrem* ſonat; & qvanqvam nocivum eſſe ſoleat habitare in locis paludoſis & udis; hinc tamen nunqvam auditum eſt, aliqvid proveniſſe noxii: ſiqvidem rivulis inde deductis effecerant, ne ibi qveat aqva ſtagnare; maximam qvoqve partem jam lapidibus & arena expleverant, idqve continuando, brevi firmam habebunt tellurem, ubi antea palus fuerat. Hic qvidam, ſupra defoſſos palos, domos erexerant. partem tractus hujus ab extra agri definiunt: parti, mons Gertuli incumbit: terminatur ad *portam pecuinam*: inter qvam & montem, locus eſt lapidibus cinctus & notatus, capitali maleficorum ſupplicio deſtinatus. Ædes partis hujus præcipue humiles ſunt, qvippe vilioris conditionis hominum; præterqvam, qvi interiora urbis magis attingunt, & conſpectiora loca incolunt, elegantiora etiam habent habitacula: hic qvoqve *domus molitoria* publica eſt, ubi privatorum molæ manuariæ, ſub proprio tamen clauſtro, propter vectigalis ſo-

solutionem pro omni qvod molitur, ad manſt
datum Regium inclusæ tenentur.

§. 6. Non procul est abhinc versus me
ridiem *mons* ille ingentis altitudinis, *a vigi*
liis sortitus denominationem, Fin: Wartiowuori/
Svet. *autem* Wärdberg/ excubiis olim inſer
viens, qvas incolæ propter incursiones hosti
les inexspectatas, egerant, ut se tueri op
portune possent; rudiori illa ætate, qva nec
hostes offendendo, tam erant ac nunc cal
lidi, ideoqve nec defensoribus, tot erat o
pus artibus muniendi. Cultiora, hic *tra*
ctus monti subjacens, eumqve ab interiori la
tere circumdans, multa habet: extrema e
jus qvidem, ut & alibi, viliora sunt; desi
nuntque ad occasum hibernum: ubi mons
amni propius imminens, terram in arctum
compellit spatium: qvod, *culinæ* qvæ
dam *coqvendæ cereviſiæ* aptæ, tenent, &
post eas, ingens *horreorum* numerus, ad
ripæ marginem dispositorum, usqve agros.

§. 7. Qvibus, ad septentrionem, & mon
tano tractui ad æstivum occasum, conter
minus est *tractus monaſterialis*, Fin: Luostari
Svet: Klöſtret/ dictus a cœnobio, tempore
Pontificialium tenebrarum in eo exstructo
sta-

ſtatim verò poſt acceptam veræ Religionis lucem, fortuito qvidem, ſed commodo incendio deflagrante, in ſignum, qvod & Papalis doctrinæ ſtipulæ, eo tempore, a vero Evangelii igne, fuerint conſumtæ. Hæc civitatis pars, lapideis eſt ornata ædificiis: non tam externo faſtigio ſplendentibus, qvippe ut dictum eſt (*a*), non excelſis, qvam decore intus viſendo, memorabilibus: præterlabentis Auræ aqvis alluitur: qvæ, ne terram in ripa deterendo, qvidqvam detrimenti inferant accolis, *cloſtro* cautum eſt; qvod, imerſis palis ſuperſtructum, alicubi ligneũ conſpicitur, alicubi lapideum: idqve, non hic magis, qvam per univerſam, ubi opus eſt civitatem.

§. 8. Qvæ huic cohæret, *umbilicus* eſt *urbis*, & optima ejus pars: non ob elegantiora ſolum, qvæ hic conſpectui ſe offerunt, ditiorum ædificia, *Forum* in medio ſitum, undiqvaqve cingentia; ſed propter mercimoniorũ qvoq; tabernas, circum ſummum hoc forum diſperſas: at maxime ob ſacram Themidis Ædem, Regium puta *Dicaſterium*, faſtigio & interno ſplendore eminentiſſimum: nec non ob conſpicuam civitatis *Curiam*, eamqve excellam ſatis & decoram, turri etiam inſignitam, in qva *horologium* cum indice: ſubtus eam

(*a*) §. 3. B, tar-

carcer reperitur publicus, iscq; duplex: & haud procul inde turrita *vigilarum domus (corps de gvarde)* in foro. Et a latere *taberna*, ubi pro usura elocari qvondã, solebant pecuniæ, vulgo *Banco* dicta, nunc auctioni inserviens. Extat præterea ad crepidinem amnis, *camera* qvædam alia *judicialis, concernens vectigalia*, & illos regios reditus, qvi rebus, qvæ usu consumuntur, & maxime ad cibum, ac potum pertinent, A. 1622 *(a)* primum impositi, vulgo *Accisum* appellantur: sub illa, omnis generis mercium exploratur *pondus*.

§. 9. A foro *Pons* trans amnem fabricatus est: nunc a nobis non prius attingendus, qvam *reliqvum* partis orientalis perlustraverimus *tractum*: is qva decorem & ædium structuram par priori, ipsissima omnis doctrinæ sedes merito nuncupanda: hujus enim in meditullio *Cathedrale* existit *Templum*; cujus descriptionem aggressurus si pari instructus essem jactantiæ arte, qva suas exteri extollunt urbes, templa, vicos & qvæ sunt cætera; fidem prope facerem nobilius in toto orbe non iri repertum: verum, cum mei non sit instituti, dubia & incomperta obtrudere pro certis & veris; hoc saltem dico, me informatũ esse, qvod intra Sve-

(a) *Joh. Locc. Hist. Svec. lib. 8. p. m. 546.* Ci-

cici Imperii terminos, præter nobiliſſimam Ubſalenſem ædem, forſitan nec alibi, majus ad omnes dimenſiones, tam longitudinem & latitudinem, qvam altitudinem, non inveniatur: qvilibet ut lubet ſentiat. In *longum* porrigitur pedes 300: *latitudo* eſt pedum 127: *faſtigium* in 150 pedes erminet: *turris* vero major ære tecta 300; in qva *campanas* qvinqve, præter eam qvæ horas indicat, & mole & ſono notabiles videre licebit: illa in maxima eſt 24 navalium pondo, Svet: Skeppund, hic tantus, ut duo extra urbẽ mill: imò & longius ſit auditus. Ornatus autem templi interior in multis conſiſtens, paucis explicari neqvit: ob *feneſtrarum* (in qvarũ aliqvot major 80 imperialibus ſumtus factus) amplitudinem & multitudinem, non minor ac ſub dio lux. Heroum *monumenta* magnifice inſtructa, in qvibus etiam inſignia plerorumq; nitent, qvorundã in columnis qvoq; ſuſpenſa. Tria vero præſertim notatu ſunt digna: *Tabula* aræ ornamento nuper A. 1699. conſtituta, ultra IIM. imperialibus conſtans: *Suggeſtus*, in qvem M expenſa: qvibus ſane paria multis in locis non obvenient: & demum *Baptiſterium*, qvo, ut a percelebribus viris accepi, non dignius in Europa, præter qvod nuper

Innocentius Papa fieri curaverat; etiam M imp: acqvisitum: suntqve illa celebrium civium munificentia comparata. Essent in numera alia designanda: (ut non memorem jam sepulcrum Reginæ Catharinæ Regi Erici XIV conjugis, & filiæ : & S. Henrici ossa ex templo Nousensi, ubi celebre ejusdem sepulcrum, allata, & hodienum in sacrario servata) qvæ brevitatis studio omittuntur. Conclavia qvædam habet; præter *Sacrarium* duplex; *Consistorium* Ecclesiasticum; *domum funerum* nondum sepultorum: *Fabricam* in qva campanæ confici solent; & *locum* aliis in templo necessariis rebus servandis conditum; insuper *formices* super qvibus homines commode conciones auscultant. ad extra est *cœmeterium* alto muro circumdatum; cujus partem absolvit *Academia Regia*, dignitate Upsaliensi proxima; in duas contignationes divisa, in qvarum superiori *Auditorium* est *maximum* triplici cathedra, & *Consistorium Acad:* in inferiori *Auditoria* duo, *Minus* & *Mathematicum*, cui annexum, ceu cella, instrumentorum *Repositorium*. *Carcer* delinqventium studiosorum ad latus structus; hactenus longe distat abinde ad occasum, in eodem muro celebris Lycei *Bibliotheca*, optimis re-

referta libris; inter quos duo memorabiles, Alcoranus videlicet lingva Turcica, & Hug: Grotii de Jur:Bell: & P: propriis ejus manibus tritũ exemplar. Interpoſito *cubiculo funerum* plebejorũ, antea campaniſterio, contigua eſt non minimi æſtimãda *Schola Cathedralis*, egregium qvorannis ad Academiam mittens juvenum numerum: ſub illa *Promtuaria* ſunt multa, ad neceſſaria eccleſiæ conſervenda apta: atq; *carcer* miniſtrantium & ſervorũ ſub Academica juriſdictione exiſtentium: juxta ſacrarium, *oſſium* eſt *camera*: & e regione *nuſtrina*: in qva, qvibus templum indiget, ferramenta cuduntur: apud eam ad ortum, pars ejusdem muri in eximiam altitudinem evecta propugnaculi ferme refert ſpeciem: eodem enim penitus modo facta eſt, qvo mœnia urbium exſtrui ſolent: & qvod locus qvẽ ſpectat foris planus eſt, habens a latere ante dictum (d) *Ruſſorum collem*; non parũ augetur opinio, propter hoſtium incurſionem eſſe exſtructam, ut ibi machinæ, qvæ eo tempore in uſu eſſe potuerint, collocarentur, iiſqve impediri qvirent illi & ab urbe arceri: adde qvod ſuperius etiam ſub laqveari *porticus* ſit, & *domus* adjuncta, tanqvam vigilum habitaculum, poſtea *Ædituorum hoſpitium*: a

(d) §. 4.

parte meridionali, similes super duabus portis visuntur, exiguæ domus. Extra cœmeterium *forum* est, *equorum* mercaturæ destinatū. Non procul templo, ad ripam, abest Episcopalis domus, regia munificentia decore ædificata; & ab altera parte templi *Pastoris habitaculum*, a civitate adornatum: tractum hunc universum, amnis præterlabitur.

§. 10. Qvem, cunctis hic observatis, ad *Pontem* revertentes seqvamur. *Is* ob vernam inundationem satis altus est; ab uno latere in adversum flumen structura media angulo ferrato prominet, excipiens impetum vere decurrentis glaciei, eamque frangens. stat super ea *taberna lanionis*, recentem carnem vendentis. Pontem transeuntibus occurrit *pars* urbis *occidentalis*; ubi *tractus ei proximus* se primum offert lapideis ædificiis refertus, parvum etiam continens *forum*. in hoc tractu qvondam templum Spiritui Sancto dedicatum extiterat, qvod testantur funera nuper in cellis inventa.

§. 11. Seqvitur versus septentrionem tractus nominatus **Muldawieru**; forte, qvia ripæ ibi in amnem devolvi soleant: qva propter & aliqvot denis passibus superius habitant, expositis tamen ad crepidinem *promtuariis:*

riis: concurrit primũ cum agris arcto qvidẽ ſpatio; reliqvo mons Mies mäki incumbit, & excurrens ad *portam* Anningais/ illũ claudit: & ut ii, qvi extremitatem civitatis incolunt, ubiqve minoris apparent conditionis; ita hic qvoqve ultima interioribus, utpote bene cultis, ornatu & ſplendore non ſunt paria.

§. 12 Iſti perſimilis eſt *pars* ulterior a porta extenſa uſque *Templum* Divi Michaëlis; juxta qvod egenis urbanis *Noſocomium* eſt exſtructum: ab occidente tota monte Puolala circumſcripta; at altera pars aqvarũ margini appoſita, magnificis primorum in civitate ædibus, qvamqvam ligneis, & pomariis ſuperbit; & licet deeſſent cætera, una *domus* Regia munificentia donata omnibus ſucceſſive Celſiſſimis *Præſidibus* Regii Dicaſterii, ſola apta eſſet eam reddere celebratiſſimam.

§. 13. Ultimus deinde *tractus* a prædicta æde ſacra uſq; arcem porrigitur, haud parvo interjecto campo, in quo qvotannis milites luſtrari ſolent; anguſtus eſt ob propinqvum fluento montem; domos qvidem notabiles non habens multas, at *pomaria*, inter quæ Regium ingens, & *hortos* optimos, dein propius arcem *Horrea* ſunt *Regia* ab utraqve par-

parte fluvii elegantia, ampla & ditia_ nec non *camera vectigalium*, ex navibus tam minimis qvam maximis, solvendorum ad arcem marmorea statua *sciatericum* impositum habet. per duos hos ultimo descriptos tractus a ponte ad arcem, jucundissima verno & æstivo tempore est *deambulatio*; tum ob fluvii ab una parte, & montium ab altera, propinqvitatem; tum hortorum præprimis amœnitatem, & prope arcem in via plantatarum arborum umbram, qvarum fator Celsiss: Comes Petrus Brahe qvondam exstiterat; ut & viriditatem campi, & viciniam maris, una cum amne egregium facientis *isthmum*.

§. 14. In cujus intimo recessu *Arx valida defensionis* (a) conspicitur, duabus insignis prælatis turribus, præter minora etiam bina propugnacula; e qvibus tormentorum ictus emissi, hostiles naves portu optime prohibere possunt: fuerat olim munitissima, triplici ab extra *vallo*, & excelso ad meridiem muro, & *fossa* duplici servata, tormentis deniqve æneis & alio apparatu bellico probe instructa: verum postqvam alia, undiqvaqve Finniæ obje-

(a) *Mart: Zeiller: descr. Sv. p. 87. Laur. Paul. Goth. L. 1. c. 27.*

objecta sunt propugnacula, ne huc amplius DEO juvante possit advenire hostis; devecta hinc major pars machinarum bellicarū in magis necessaria loca; & arx ipsa, pro ratione temporū servata, aliqvantumq; prolapsa: at nuper reparata egregieq; ornata, in pristinū nunc fulgorem resurgit. præter alia valde multa loca, atria & cubilia, etiam *Templum* habet, qvo non solum, qvi in arce detinentur captivi & eorum custodes, sed & accolæ catervatim confluunt.

§. 15. *Aura amnis*, ut supra dictum (*a*), urbem mediam secat: is prope pagum Oripä Parœciæ Pöytis/ ultra 5 mill. hinc distantē, ex qvorundam fontium & paludum rivulis concurrentibus ortus, indeqve delabens, per innumeros anfractus, primum minime lato cogitur alveo; postea autem diversis in locis, tribus rivis aliis influentibus, sc. Caulo-Sawi- & Wähä-Joki/ majori mole agit undas, atq; saxis sæpissime impedit⁹ crebro reverberatur; propterea q; navigiorū impatiens est, donec paulo infra Halisfors/ nominato amne Wähäjoki/ ad qvem prius Topisjoki accedit, auctus, navigabilis civitatem permeans, ad arcem in mare se evolvit. non multū

C li-

(*a*) §. 2.

limi, nihil arenæ vehit; niſi qvæ a civibus adjacentib⁹ injiciuntur ſordes: eæq; defluentes, os ſeu introitum amnis, tot jam annis qvot urbs ſteterat, vix ſemel, qvantum mihi conſtat, purgatum, aliqvantũ obſtruxerant ita ut magnæ naves neqveant ut olim ingredi, niſi pars oneris prius abſportetur.

§. 16. Qvod commode ſatis & absqve minimo periculo fieri poteſt tam in ſecuro *portu*, qvo non multos invenire licebit meliores, qvamqvam Svecia Finniaqve portubus abundent, præter incomparabiles Holmenſem & Coronienſem: &, ſi condecentibus ejus commoditas poſſet efferri verbis laudatiſſimos exterorum, immane qvantum ſuperaret; capax enim eſt claſſis vel maximæ: montibus circumſeptus, adeo ut & inſenſiſſima procella eorum jugis cohibita, ad interiora non penetret, ſic ut qvidqvam damni qvieſcentibus ibi navigiis inferre valeat nec fluctus noxiæ magnitudinis ibi unqvam cientur, æqvore anguſto; niſi qvod ad æſtivũ occaſum ſe parum extendat, nec id ultra MDCCC paſſus; ſed & illud ſpatium altum non eſt; & impediuntur undæ ſcopulis. ipſum *navale* tamen profundum ſatis eſt atqve purum; fundus tenax, & non fallens anchora

rum

rum hamos. propinqvitas adhæc urbi, maxime commendat locum, non enim ultra passus IIM abest â ponte in medio urbis sito.

§. 17. Perspecto sic situ Aboæ, qvo hodie gaudet; pauca differenda censeo etiam de traditione illa, qvæ *antiqvum urbi* assignat *locum*, passibus præter propter M superius ad ejusdem Auræ ripam. Sed nulla se mihi causa ingessit, cur inde in hunc situm translata sit urbs; nisi conjectura valeat, factum id esse, partim, qvia altiores ibi sunt riparum margines, nec idcirco tam cōmodum fuisse ædes ad crepidinem exstruere, qvam circa humiliores, hic infra, ripas; majoris qvoq; fuisse molestiæ navibus urbē petentibus, tantum amnis, & qvidem non tam profundi qvibusdam in locis, contrario emetiri flumine: occasionem autem istius migrationis aut ab incendio urbem perdente, aut hostili devastatione esse sumtam.

§. 18. Præter visa interiora; urbium descriptionem ingredi solent *externa*, si qvæ possidet, & *vicinia*. qva prius: sunt sui Aboënsibus in circuitu civitatis *agri*, qvos ipsi colunt; sunt sua *pascua*; qvibus, ut jam suillum agmen omittam, non despiciendus vaccarū grex caprarumqve alitur: qvo fit; qvod per

totius anni curſum urbem lac non deficiat, æſtate præcipue abundet. Nec plane inutilis eſt, qvam & in portu, & vere præſertim in amne exercent *piſcaturam:* gobiorum copiam capiunt reti: hamis omnis generis piſciculos extrahunt; ſagena vero etiam majores. Subjacent qvoqve ſenatui urbico qvædam rura; qvorum pars tributum ipſi pendit, pars etiam jurisdictioni paret: inter alia caupona eſt Cupis dicta, *fonte* optimo laluberrimo memorabilis; ex qvo rivus excurrens civitatem permeat: qvi loci amœnitatem licet egregiam augens, jucundam Aboenſibus occaſionem præbet ambulationis; eadem delectatione variis circum locis utentibus. in Halisfors ſuperius memorato (*a*) *mola* eſt, *aqvaria* ſubdita pariter Magiſtratui Civitatis, ingentis, non civibus ſolum, tempore qvo venti qvieſcunt, nullum ex alatis uſum habentibus, ſed etiam toti rurali tractui. utilitatis. eſt & ex oppoſito arcis *inſula* Runſala/ Fennice Ruwißalo/ tanqva ſiliginea, ob fertilitatem, dicta; non ſolu frugum, ſed omnium qvoqve herbarum graminis & arborum, alibi in Finlandia no inventorum ubertatem; uſus hujus, Satrapa hic reſidenti, competit: *Theſſala tempe amœ*

(*a*) §. 15. *nita*

nitate vincit (*a*). *Vicinia*, civium prædiis & villis rusticis, ut duas jam præteream Regias, plena, *fœcundam* habet *glebam* (*b*), & *pascua læta*; nec obstant interspersi montes, (propter qvorum multitudinem, exteris, Finniam ceu sterilem & incultam, contemni, aliqvoties audivi; sed sciant ii, qvamvis crebri maritimis his in locis sint, eos tamen ultra unius vel duorum milliarium spatium ad regionis interiora non nisi perpaucos (*c*) inveniri) qvo minus loca hominibus culta sint, agrorumq́ sufficiant proventus & pecorum fœtus, non incolis modo ad necessitatem, satietatem & hilaritatem qvoq́, qvando naturæ, ex divina benedictione, suo licet uti ordine, nec ut præteritis his (proh dolor!) annis, Numinis ira inhibita, suæ liberalitatis gremium mortalibus præcludit; verum etiam ad exportandum exteris; qvi aliqvot millenas segetis tonnas qvotannis ab hac urbe solum receperant, & salsæ carnis copiam: & vix ullibi qvantum ego sciam, minoris qvam hic obsonetur; cum & adjacens mare, insulis qvidem & scopulis creber-

(*a*) *Wex: L. 7 Cap: 6.* (*b*) *loc. cit: Bur: d. S. p. 54 Zeill: descr. S: p: 29. Cosm: Munst.* (*c*) *Wex: C. 5. L. 2. Zeil. Sv. descr. p. 55.*

herrime interpolatum, interqve illa in
magnam profunditatem depreſſum, omnis
generis alat *piſces*; qvi variis piſcatorum
artibus & inſtrumentis e liqvido ſuo ha
bitaculo eliciti, hominibus eſui & vario
uſui cedunt: qvod idem in amnibus &
lacubus, qvibus tota interluitur Finnia, e
venit: maxima tamen *arengarum* ubiqve in
ſalo invenitur copia; adeo ut & qvædam
M onerum ex iis in alias evehantur regio
nes, præter qvæ domi conſumuntur: nec
hippopotamis aqvæ carent; qvos & hic capere
norunt, & multæ utilitati ſervare: carne
veſcuntur, lardū innumeris uſibus inſervit
ſicut & pellis: ſaltus & nemora plena ſunt
feris; has variis modis venantur ruricolæ, ex
his cibum petunt; harum ſe veſtiunt pelli
bus, & vendunt easdem. adhæc etiam *avi*
bus non deſtituuntur, qvas tam mari qvam
terra conſectantur; ex iis & edulia ſibi accipi
unt, & plumas aliis nummis cedendo, cun
cta ſibi neceſſaria parant. Sed neqve terra
viſcera & montes ſuis carent divitiis; *mar*
mor enim in Kimito exciſum novit qvilibet
unde etiã columnas illas qvæ antea in templo
arcis Holm. erant, allatas audivi. *margarita*
ru

ruſtici ex amnibus expiſcantur, qvæ Regi veneunt. *Gemmæ* ad Kerholm inventæ (*a*): & *magnes* juxta Raſeborg (*b*). ſunt & ſaxa *metallis* prægnantia: qvod generoſus qvidam vir, jam beate defunctus, oſtendit; ex iiſdem magnam argenti copiam extrahens, Italiq; cujusdam effato, ſibi dicentis: *ſtellam polarem, noſtro ferone vertici imminentem, Dei digitum eſſe, monſtrantem, ubi res totius orbis pretioſiſſimæ, ſcilicet metalla eruantur*, confirmans.

§. 19. Hac tali jam in regione, his qvæ percepiſti L. B. gaudente bonis, ab antiqvis locata eſt Aboa: iſto qvem vidiſti ſitu, iſta facie, iſtas deniqve qvas obſervaviſti habens commoditates, tam natura, qvam arte humana factas. qvæ cuncta dicta, Topographiam urbis abſolvunt: nunc ad plura perſeqvenda pergam.

CAPUT SECUNDUM,
Hiſtoriam Aboënſem contexens.

§. 1.

Traditurus Hiſtoriam urbis noſtræ, in ipſo hæreo aditu: ſciens a me reqviri ve-

(*a*) *Bur. tab. orb. arctoi.* (*b*) *Geogr. univ: de la Croix. part. 2. c. 8.*

veram atqve plenam omnium, qvæ hic ac-
ciderant, ex qvo primus ad ædificandam
Aboam jactus eſt lapis, narrationem; de-
bitis etiam loci, temporis & perſonarum
circumſtantiis obſervatis: qvorum notitia
qvæ nullis literis mandata deprehenditur
nec ulla traditione ad poſteros translata
habetur; peritiſſimos qvoqve & antiqviſſi-
mos fugit. qvamobrem cum infallibilibus
ad omnia rationibus caream; eruenda eſt
rerum vetuſtarum veritas ex monumentis
ſi qvæ exiſtunt; ex conſeqventibus qvibus-
cunqve: forte & adjuvabit opus vernacula-
rum qvarundam vocum accurata expoſi-
tio. qvæ jam hoc modo in medium proferri
qveunt, verorum omnino vim habere ſun-
cenſenda, qvouſque certa eadem deſtruen-
tia alicunde afferantur indicia: qvod tamen
fieri non poſſe, ſpero: operam namq; nava-
bo, ne qvid irrepat, qvod veritati non ſit
congruum, & ex veris ſignis & anteceden-
tibus probabiliter concludi neqveat.

§. 2. Primus ergo labor erit; inqvirendo in
incunabula Aboæ: qvibus certum tempus au-
ſeculum determinare, monumentorum ve-
tat defectus: nec in aliud incido refugium
qvam qvod nominis Finnici Turcu indagem

genuinã significationẽ: qvam Latine dixeris *venalium mercium forum* (*a*), qvam vocem, una cum cæteris Finniæ lingvæ vocabulis simul natam esse censendum: ejusqve lingvæ originem, recte qvidem ad confusionem sermonis Babylonicam refero, hac ratione ductus: qvod ibi provenerint lingvæ omnes cardinales, seu qvarum ortus ab alia derivari nequit: & lingva nostra Fennica earum una est: siqvidem de ejus natalibus nulla alia gloriari potest; plane enim est diversa ab omnibus nobis notis; nec est verisimile eã extractã esse ex illis lingvis; qvibuscum commercium Finnones nunqvam habuerant, & qvæ tanto intervallo remotæ sunt, qvod nobis non potuerant innotescere. nec officit huic sententiæ qvidqvam convenientia illa, etsi notabilis, Fennicæ lingvæ in vocibus cum Græca, & in flexionibus, affixis & suffixis cum Hebræa; cum ea partem tantum attingat, sed e contrario firmatur dicta positio exinde, qvod *vernacula nostra multarum sit aliarum mater, utpote Lapponicæ, Esthonicæ, Biarmicæ; quidam* (*b*) *addunt Sclavonicam: cui docti*

D

rur-

(*a*) *Conf. Matth. 20. 3. Luc: 7. 32. Act. 17. 17. verf. Fennic:* (*b*) *Atlant: Ol: Rudb: part. 1. p. 81. Albert. Kranz. Wandal. proœm.*

rursum accensent Moscoviticam, Polonicam, Ungaricam, Bohemicam, & Moldavicam. Statuo igitur proveniſſe eam communi & univerſali illa lingvæ confuſione; & conſeqventer, cum pars ejusdem ſit, etiam vocem hanc Turcu alias enim imperfecta fuiſſet illa, ſi caruiſſet tam neceſſario nomine, præcipue Synonymis deſtituto, omnibus urbibus generali & ſi non urbibus, præcipuæ tamen urbium parti. Unde infero: qvamprimum homines ex benedictione divina (*a*) poſt diluvium ſeſe multiplicantes de novis ſedibus occupandis cogitarent, & *Japhetigenæ* (*b*) *Europam ſorte nacti* verſus Boream migrantes *duce Magogo* (*c*) *Finlandiam noſtram occupaſſent*; eos non multo poſt de exſtruenda urbe agitaſſe: ſine qva utiqve Reſpublica apte non poterat eſſe; propter qvarundam ſemper rerum, qvæ aliunde, inculta adhuc terra importari neceſſe erat, defectum. *nec enim omni*

(*a*) *Gen: 9. v. 1. 7.* (*b*) *Chron: Lauremberg. p. 11. Joh. M.L. 1. C. 3. Chriſt: Cilicius cimber L. 1. Belli Dit marſchici.* (*c*) *Joh. M. L. 1. C. 4. Loc. Ant. Sv: L. 1. C. 1. Petr. Pertrejus Hiſt. Sv. Buræus deſcr. Sv. C. 6. p. m. 186. Laur: Paul: L. 1. C. 14. Job. Widekindi in Lum: Chronogr. & ab eo cit. Ren. Reinecc. Hiſtor. Julia.*

omnis fert omnia tellus. qvod fieri commode neqviviſſet aliter; niſi in certo qvodam loco, ad mercium commutationem, ut antiqvis moris fuerat, deſtinato, qvi Fennis Turcu recte audit; ibi deinde conſediſſe illos, ob majorem commoditatem, qvi iſti rei fuerant addictiores; unde urbem creviſſe, & tempore eſſe ampliaram cenſeo: atqve eam non aliam qvam Aboam fuiſſe, cum nomen arguit adhuc durans, ac ex appellativo in proprium degenerans, tum cæterarum origo recentior, in chronicis notata.

§. 3. Præterea adduci poteſt & illud; qvod regnante in Svecia Siggone Rege tertio, idqve ſub initium ſeculi a diluvio qvarti, legimus (*a*) *Finnos, conjunctis viribus cum Æſthiis*, qvod ipſum indicat auſtrales eos fuiſſe, non ſeptentrionales Biarmos, ut volunt, & Finmarchos, *navibus vectos, Sveciam populatum iviſſe; illisqve arcem Sigtunenſem eſſe objectam, ne in interiora regionis pervenirent.* Qvod qvidem agmen, ſentio, non potuiſſe absqve duce exire, vel qvidqvam efficere: & illum ducem domi in urbe habitaſſe; ob judicii præcipue exercitium, qvod ſummæ poteſtati competit; & majorem qvam ruri hominum

(*a*) *Job. Mag. L. 1. C. 6. Wex. deſcr. Sv. L. 9. C. 3.*

freqventiam, & propinqvitatem, qvo citius exſeqverentur & effectui darent, qvæ mandaverit: præſertim, cum adveniente hoſte neceſſitas defendendi ingruerit, ubi celeritate maxime opus eſt.

§. 4. Et ſi forte iſta opinio placeret, qvam qvidam amplectuntur: ſcilicet *de Fennis teneri poſſe videri*; qvod poſt obſeſſas jam has regiones, a Svecis & Gothis, *ab Oriente in Europam ſenſim penetrarint* (*a*), & ſubactis aut ejectis incolis prioribus, terram hanc qvæ nunc Finlandia dicta, alio prius fuiſſet inſignita nomine, occupaſſent, & in ea ſedes fixiſſent ſuas; qvoniã tam diverſũ plane habeant ſermonis genus, reliqvis populis vicinis, invicem, ſemper aliqvatenus convenientibus: atqve inde concluderetur, adventum Finnorum nuper accidiſſe, atqve ſic aſſertionem iſtam de antiqvitate Aboæ coruere: ei repono citatos ex hiſtoria locos, expreſſe nominantes, Finnos illam in Sveciã feciſſe incurſionẽ: ut & alios ſatis antiqvos ſcriptores mẽtionẽ de Fiñonib⁹ (*b*) injicẽtes.

&

(*a*) *Atl. Rud. part. 1. p. 81.* (*b*) *Tac. in fine lib. de moribꝰ Germ. Plin. Hiſt. Nat. L. 4. c. 13. Sax Sial. L. 1. p. 8. Joh. Mag. paſſim. Jornand. Proco. & Paul. Diacon. & a Nob. Wex. Gyllenſtol. adduct: Ptolom.*

& qvanqvam concederem eos poſtea ex Aſia huc demigraſſe; factum tamen id ante ſeculum qvartũ affirmarẽ, priusqvã expeditio hæc in Svecos facta fuiſſet. & ſic ex jam recenſitis haud importune colligere licet; fundamenta Aboæ noſtræ jacta eſſe proximis temporibus, poſt migrationem gentis: non enim diu magna illa migrantium cohors, absqve urbe fuiſſe creditur; etiam propter exemplum aliarum commigrationum, qvæ paſſim in hiſtoriis leguntur (*a*) municipia ſtatim condidiſſe, qvam primũ ſedem habitationis invenerint.

§. 5. Nec dubium cuiqvam ſit; qvin inter primas hæc fuerit colonia: cum id omnibus conſtet; & inter omnes de eo maxime conveniat; & ex hiſtoricorum teſtimoniis probatum ſit, exſtitiſſe proximis poſt diluvium temporibus populos, Finnos dictos. nec jam ulteriori probatione reor eſſe opus, boreales has plagas primum eſſe occupatas: qvod præter alios Generoſiſſ: olim Gyllenſtolpe (*b*) innumeris fere evincit argumentis & teſtimoniis.

§. 6. Qvis autem ipſe fuerit *conditor* urbis

(*a*) *Gen. 4. v. 17. Joh. M. L 1. C. 6. Rur. C. 6. Wex. L. 9. C. 2. 3.* (*b*) *L. 2. deſcr. Sv. & Paul: Got. L. 1. c. 14.*

ois noſtræ plane latet; nullis de ea re documentis, ac ne notis qvidem minimis exſtantibus. qvæ qvidem etiam ſciri poſſent; ni, ut memoratum (*a*) eſt, invida noſtræ gloriæ fortuna, arcem Cuſtoënſem, & ipſam hanc Aboam toties igne perdidiſſet: qvod inferius (*b*) proponetur fuſius. plebejum qvidem non fuiſſe & ignobilem, ſcimus, exſtruendæ civitati auſpicia dantem: qvin potius principem, & dubio procul Monarcham; hanc tanqvam commodiſſimo loco ſitam, ſedem ſibi eligentem atqve præparantem.

§. 7. *Regiam* qvidem fuiſſe manifeſtum; qvoniam aliam urbem non extitiſſe notum eſt: & tamen Finniæ *Reges* præfuiſſe. qvorum qvamvis ſeriem, ut pleraqve alia particularia, ignorem; qvorundam tamen occurrunt nomina: utpote ROSTIOFI, qvi poſt mortem etiam a *Svecis divino honore eſt affectus* (*c*). *poſtea* FERNIOTTI; de qvo nõ plura traduntur, niſi qvod *fuerit Sveciæ Regis Gylphonis avo* (*d*). de-

(*a*) *in præfatione* (*b*) *hujus cap.* §. 10. (*c*) *Joh. Mag. L. 1. C. 10.* (*d*) *Loc. Hiſt. Sv. p. 2 L. 1. Wex. L. 2. C. 7. Joh. Widek. Lum. Chronogr. Petr. Salan. in notis ad Egilli & Æſmundi Hiſt. c. 8. ex fragm. Hiſt. Olai Trygwaſonii.*

dehinc Atus vel Otus dicti (*a*). dein Frosti: *qvi ab Ingemaro seu Agno Sveciæ Rege devictus est & cæsus; filius autem ejus Loge cum sorore* Skialfwa/ *in prædam ablatus: & Rex puellæ Fennicæ amore flagrans, eam thori sociam sibi junxit: qvæ paternam cædem animo volvens, in convivio inebriatum & somno captum Ingemarum, monili aureo ex arbore suspendit, in parva insula Agnafit Holmiæ; postea revertens domum præda onusta (b).* Porro Sumbli: *cujus frater insignis pugil desponsarat sibi Sveciæ Regis Sigtrugi filiam, (cujus Sigtrugi antecessor Humelus fuerat coævus Davidi Israëlitarum Regi (c),* ipsique sic Salomoni) *at a Gramo Daniæ Rege intercepta est eadem virgo Svecica Gro nomine. præterea* Signen Sumbli *filiam elocatam Henrico Saxoniæ Regi, etsi promissa fuerit Gramo Dano; qvi eam tamen vindicaverat (d),* memoriæ proditum est. Ultimo, nominatum invenio qvendam Snionem (*e*), a qvi-

(*a*) *prænominatos tres, acceperam nominari cum plurimis aliis in veteri qvodam MS: cujus copiam aliqvando patriæ futuram, a Præclaro Patriota, confido.* (*b*) *Chron. Norw. c. 13. de Sv. Reg: Locc. L. 1. p. 6. Wex. L. 2. c. 7. Scheff. memor. Svet. c. 37.* (*c*) *Er. Pom. cit. a Locc. p. 7.* (*d*) *Saxo Stal. L. 1. p. 8. Joh. Mag. L. 2. c. 5. Wex. cit. loco, & ab ipso citatus Meursius in Hist. Dan.* (*e*) *præter alios, in prædicto MS. to*

a qvibusdam (*a*) *Winlandiæ Regem* dictum: qvam tamen terram nunc aliter ignoro, ni Finlandiam eandem esse astruam: qvod in seqventibus mox probabo, faciente mecum D. Rudbeckio (*b*), & ante nom: Gener: Gyll: (*c*), qvi expresse appellat SNIONEM *Finniæ Regem, istiusqve filiam Driwam nuptam fuisse Wandro Svetiæ Regi.*

§. 8. Qvanqvam sit propositum unice tractare res Aboæ nostræ, & nunc tamen videar a scopo aberrare, ad dicenda pauca de *Winlandia* & qvæ ei cognata sunt, divertens; majorem tamen inde lucem, ignorantiæ nocte mersis Finniæ gestis affulsuram spero; dum innotescet, omnia ea qvæ in Historiis Winlandiæ tribuuntur, Finlandiæ jure deberi. Ad probandam igitur assertionem illam, præter allatum testimonium beat: Gyll: etiam repeto memoratum locum Rudbeckii: ubi *Winlandiam*, ab Adamo Bremensi V & F promiscue scribenti, *insulam in ultimo septentrione sitam, mari glaciali vicinam traditam*, aperte ait *Finlandiam esse*; addens *se observasse apud Snorronem Sturlesonium & in Hist. Regum Norwegiæ, eandem nomini mu-*

(*a*) *Chr: Norw. C. 7. de St. Reg. Locc. L. 1. p. 5.*
(*b*) *Atl. part. 1. p. 291.* (*c*) *L. 9. C. 45.*

mutationem usu venire. Ulterius adduco Paul. Diaconum, mentionem de *Scrito-Vinnis* injicientem (*a*): qvos, nemo cordatus inficias ibit, eosdem cum Scrito-Finnis esse, existimatis a qvibusdam peculiarem propius arcton regionem constituere; cum revera nulla sit, sed competat id nomen recte omnibus Finnis, qvi soleis ligneis celeriter currere didicerunt, ferasqve insequi; & postulante necessitate, hostes circum cursitando confundere & trucidare. Cujus exemplum in se statutum testabuntur *Russi, qvi parum ante obitum Regis Job: III, exercitu C M improviso in Finlandiam irrumpentes, a DC Finnis Rusticis, praedictis soleis,* Finn. Suri & Svetice Skijd nominatis, *instructis, in fugam acti sunt & partim* (*b*) *caesi.* eandem pristinis putatam Scrito-Finniam, *Skridi-Windiam* alicubi (*c*) vocitari notatum est (*d*): *Winland* rursum dici Wänden (*e*), & *Vandaliam* (*f*): porro *Vandalos ad caput Vistulae habitasse*, [*ultra qvem Germanicum nomen non extenditur* (*g*)] *& advenas fuisse* (*h*): qvos

(*a*) *de migrat: Longobard: ex Svecia c. 6.* (*b*) *Butus in descr: Sve: p. m. 42.* (*c*) *in privil: Templi Hamburg:* (*d*) *a Grotio in praef: ad Hist: Reg: Norv:* (*e*) *Chron: Norv. cap. 19.* (*f*) *Locc: Lib. 1. pag: 5.* (*g*) *Mela l. 3. c. 3.* (*h*) *Jac. Dal. in notis ad Plin. l. 4. c. 14.*

Regnum Vannianum (a) *juxta Svevos* condid ſſe puraverim: & qvod *Vinuli ex his terris egreſſi* ſint (*b*); *iidemqve* ſint *qvi Winili, Windi, Wendi, Wandali, Wanali* (*c*): atqve *hi appellationem iſtam fortiti* (*d*) *a Tanai,* Wana *Gothice dicto* (*e*): *Unde tractus circumjacens nomen* Wanaheim *obtinuit: & accolæ* Waner/ Wäner/ & Wanaler: *qvi uſqve ad littora Venedici Sinus, qvi proprie Finnicus eſt* (*f*), *late ſuas habuerunt ſedes* (*g*); & *al utraqve ſinus parte Vendi ſeu Wandali habitave rant* (*h*). *unde & Curetes Vandalicæ ſunt nationis* (*i*); & Æſthones, qvi ſermone ſuo teſtantur ſe Finnicæ eſſe originis. a Wana autem ſic appellantur Vandali a Fennis prognati qvia in prima demigratione ex Aſia venientes omnes populi hi boreales ſe abſqꝫ dubio diviſerant in partes, ſecundum qvod lingvis differebant: & potuere noſtræ gentis fatores primum conſediſſe juxta Tanaim, indeqve paulatim ſe huc promoviſſe. ſic enim h

(*a*) *Plin. l.* 4 *c.*12. (*b*) *Coſmogr. Munſt: l.* 4 *c.* 3 (*c*) *Helmold. Chron: Slav: l.* 1. *c.* 2. *Locc. ant. Sveo l.* 3. *c.* 8. *Alb. Krantz. Vandalia l.* 1. *c.* 1. *&* 12: *Dy* Monarch Sp: *in vit: Martiani.* (*d*) *Wex: l.*2 *c.* (*e*) *Chron. Norv. c.* 1. (*f*) *Laur. Paul. Goth. l.*1. *c.* *Geogr. Gez. c.* 5. (*g*) *Cluv:* (*h*) *Laur. Paul. ll.* (*i*) *Joh: Mag: lib.* 2. *cap.* 26.

habet qvidam ſrciptor Gallus (*a*): *ii*, inqvit, *qvi proxime veterem Scbytiam conſederunt* (*Finni* (*b*)) *& Scbyti dicuntur, cum ultra Tanais fontes* (*in Finlandia* (*b*)) *& ad ipſum Tanaim habitaſſent, in Europam ſunt effuſi.* & ſi cognati non eſſent, utiqveſa Plinio (*c*) *Fenningia, ad Viſtulam uſq; fluvium a Sarmatis, Vendis, Scyris & Hirris incoli*, neqvaqvam diceretur. affine dictis nominibus eſt Wenno; qvomodo hodienum ſe invicem Carelii ſalutant: qvod pro more Germanorum v ut f pronunciantium, mutatum eſt in Fenno, qva nos jam gaudemus appellatione. addimus qvod *ex ſeptentrione* dicantur *Vandali oriundi* (*d*); *non* tamen *Specicæ vel Gothicæ originis* (*e*); ſed *iidem cum Sclavis* (*f*), *qvorum lingva e Finnica natales habere affirmatur* (*g*). & qvanqvam *Slavica gens qvondam*, tam *a Svetis* (*b*), qvam *hodienum a Germanis contemta habeatur* (*i*); ita ut mancipiis, eorum nomen ſoleat imponi; *non*

(*a*) *Nicephorus Gregoras Hiſt: Rom: L. 2.* (*b*) *Rudb: Atl: par: 1. p. 813.* (*c*) *Hiſt. Nat: L. 4. c. 13.* (*d*) *Bodinus adductus a Wex. L. 2. c. 4.* (*e*) *Locc. antiq. Sv. L. 3. c. 8.* (*f*) *Locc. cit. loco. Helmold. Chron. Slav. l. 1. c. 2 Alb. Kr. Wandal. l. 1. c. 1. Paul. Goth. l. 3, c. 13* (*g*) *Atlant. Rudb. a. 81. vid. ſupra c. 2, § 2.* (*b*) *Chron. Norw. cap. 62.* (*i*) *Locc, loc. all.*

idcirco revera *vilis erat, siqvidem fortitudinis laudem meretur* (*a*): idemq; Germani eo manifestant, qvod ad nulla admittunt eos munia, præter militiam, ubi ipsos libenter patiuntur; *veneratqve prior ille contemtus, tantummodo ex odio hostilis populi, aliqvando feliciter subacti* (*b*). Ex qvibus omnibus clarissime constat, idem esse Winland & Finland (*c*): Vandalos ex Finnis, cognatiqve nominis gentes, esse derivatas.

§. 9. Ad scopum igitur regressi, læta mente accipiamus victoriam *Erici Sveciæ Reg* cognomine *Sancti*: qvi, huc in Finlandiam itinere susceptο, incolis Christianam svadere conatus est religionem: cum autem refragarentur; DEO caulam adjuvante, armis eosdem debellavit: & ope *Episcopi Henrici Angli*, convertit ad salutarem Salvatoris optimi & DEI veri notitiam. qvod factum Anno restauratæ salutis 1150 (*d*). Idem *Henricus* in reformationis opere constitutus, doctrinam cœlestem miraculis confirmans, *ad*

(*a*) *Vossius lib. 2. de vitiis serm. cap. 17. totum volumen Alb. Krantzii de Wandalia.* (*b*) *sapientum nom. Loccenius & Krantzius.* (*c*) *vid. Pet. Sarlan. in notis ad Egilli & Asm. Hist. c. 10.* (*d*) *Loccen. l. 8. p. 76. Bureus p. m. 56 & 188. Chron. Laur. de Svec. Reg.*

Eti

Ethnico nobili Finno, qvem ob homicidium commissum reprehenderat (a), in Kiulotrâsk hyeme trucidatus est: & ut fert traditio; abscissus ejus pollex, annulo ornatus, tunc in nive deperditus; die Johannis Baptistæ, a cæco qvodam, in lintre sedente, super trusto glaciei natans, visus est & elevatus; qvo facto, statim glacies in aqvam soluta est. stat hodienum domus ejus in Nousis/ in qva qvartus tamen paries, renovatione eget sæpius; reliqvis absqve labe per tot secula firmis. visitur qvoqve in petra ibidem prope templum in qvo humatus est, accuratissima serpentis effigies; qvem, mortuum calcaneo ejus nudo minitantem, ab ipso maledictum, lapidi immersum esse, ajunt veteres. eorum monumentorum ipse oculatus sum testis.

§. 10. In monumentū receptæ Religionis Christianæ, seqventibus mox annis, a virgine qvadam nobili & opulenta, qvæ Arcis qvoqve Aboënsis fundamenta posuisse traditur, *Ædem Divæ Mariæ* sacram, nunc, non procul ab urbe, *in Basilicam exstructam compertum est (b). In qva etiam qvidam Episcoporum sepulti jacent*: juxta qvam, & urbem tunc, ut superius annotavi (c), fuisse persvasum habeo.

(a) *Loc. l. all. Joh. Mag. l. 19. c. 3.* (b) Ajanicto *Finnice* (c) *Cap. 1. §. 17.* An-

Anno vero 1300, regnante Birgero, Episcoporum aliqvot impensis, excrevit templum noſtrum Cathedrale magnificum: aliqvoties deinde, (ut infra dicetur) ab igne dira paſſum, ut & urbs ipſa; & 18 poſt ortum ſuum anno, a Moſcovitis improviſo incurrentibus, compilatum.

§. 11. Hoſtiles injurias, præter memoratam, urbs noſtra paſſa eſt: nimirum A. 1510 (aliis 1509) 2 Aug. ab Ottone Ruut Dano vaſtata. A. 1522, (al: 1521) 22 Maji direpta a Severino Norbyo, & exuſta a Nicolao Andreæ; partibus Chriſtierni Tyranni adhærentibus proditoribus. tandem, cum ceſſiſſet Finniæ Ducatus Principi Johanni, jure tamen feudi, qvod A. 1569, ipſo rege facto deſiit; qvo intervallo ipſe Princeps Aboæ in arce reſidebat, atqve ibi a fratre Rege Erico XIV captus, poſt qvadriennium autem libertati reſtitutus, in talionem, ex ſuo principatu tantas copias collegit, ut iis ope fratris Caroli Ducis Sudermanniæ, Regem ſuperaret & carceri manciparet 1568; ipſeqv in regnum ſuccederet: & moriens 1592 filium reliqviſſet Sigismundum, ob heterodoxiam, & alias legum, eo tempore vigentium Regni fundamentalium, & pactorum

tran

transgressiones, a Svecis 1599 rejectum: cui cum Gubernatores Finniæ adhærere vellent, seqve Carolo IX Sigismundi patruo, jam designato Regi, opponerent; appulit ille classe Aboam: urbem non munitam, nullis defendentibus, intravit: arcem, in qvam defectionis auctores confugerant, obsedit; qvam ex montibus antea occupatis, crebris tormentorum ictibus qvassare aggressus, si hostes justæ causæ fidentes, justis armis copiisqve instructos, habuisset; difficulter sane expugnasset: sed ut maleficos pœna seqvi solet sua; ita justæ causæ fortuna, & consilio Regis factum, ut globus tormenti in Blyberget constituti, & ab ipso explosi, portam arcis feriret, eamqve trajiciens, cujus vestigia adhuc cernuntur, miro modo circum aream arcis volans, ingentem obsessis incuteret terrorē: adeo, ut Gubernator ipsemet, Rege intrante, mortuus sit inventus, qvo autem letho dubium; socii fugerent milites potestati Regis se permitterent.

§. 12. Magnam Aboënsium & Finlandiæ *habitam rationem*, etiam primis temporibus, ex qvo, in provinciæ formam a Svecis est redacta, iñuunt *nummi hic sæpius cusi.* utpote (*a*) ab

(*a*) *Thes. Num: Sveo-Gothic. Nobiliss. Eliæ Brenneri.*

ab Erico Magni R. S. A. 1360; cujus figura
añexa Tabella videatur N. 1. ab Erico Pom
rano duæ ſpecies A. 1397. N. 2. 3. A. 1441. auſp
ciis Chriſtophori, N. 4. A. 1448, binæ, ſu
imperio Caroli Canuti, monetæ, N. 5. &
una incerti temporis & Regis, N. 7. ultim
tres Guſtavi I. nummi, ſec: 16 annis 23. 2
& 37, N. 8, 9. & 10. Et qvanqvam ob m
tam A. 1316 ſeditionem, a Buggone qvo
dam, dante pœnas Birgero Regi, *duriore*
ſuam conditionem Fenni feciſſent (*a*); a Magn
tamen Tawaſt effectum eſt, non obſtant
levi motu, qvem & ipſe in Satacunda exo
tum compeſcuit, ut comitiorum jus Finn
impetrarent ab Erico Pom: initio Sec. 1
ſuntqve hic comitia celebrata (*b*) A. 1435, ub
Engelbertus regni Princeps declaratus: &
ſeqventi iterum anno, 3 Cal. Febr: ubi no
minato Regi Erico, ordines regni & proce
res præcipue, renunciare ſe velle ſignifica
bant, niſi legibus ſuis ſe frui permitteret.

§. 13. Anno 1528, felici (æternum DEO
laus) ſucceſſu, piæ & glorioſæ memoria
heros Rex Guſtavus I, divina ſublevatu
gratia; veram & ſinceram *Evangelicam Reli*
gionem introduxit Aboam & in Finlandiam

(*a*) *Joh. Mag. L. 20. c. 24. Wex. L. 5. c. 11.*

(*b*) *Wex: L. 7. c. 6.* qva


1


2


3


4


5


6


7


8

9


10

1

3

5

7

9

qvæ deinde propagata radices egit, ac sequentibus præsertim duobus annis; priori, per Divi *Mart. Lutheri Cathecheseos* communicationem; posteriori, per *Augustanæ confessionis* publicationem confirmata est. & qvo melius bene partum salutiferum illud Dei donum incorruptum retineretur, constitutum est hic *Gymnasium* â beatissimo Rege Gustavo Adolpho Magno, anno vergentis seculi 30: qvod cum decem annis floruisset, a Christina Regina Augusti Gustavi filia, in celebrem immutatum est *Academiam:* cui Anno 40 supra 1600 sui addiri Doctores, sua privilegia data, eaq; egregia, & sua ordinata jura: annoq; abinde secundo, *Typographia* aucta ea est & ornata. atq; cum A. 1554 *Novum Testamentum* in Finnicum sermonem translatum esset; nunc *tota Sacra Scriptura* in eximium salutis incrementum & patriæ utilitatem, Anno 1642 idiomate suo Finnis donata est, & 1686 revisa. in memoriam qvoqve feliciter transacti Anno 1693 *Concilii Upsalienſis*, Liturgiam Ponrificialem condemnantis & abrogantis, 93 hujus seculi anno, etiam hic, ut alibi, *Festum Jubileum*, magna cum festivitate celebratum est Dominica qvinqvagesimæ; & ingentes aurei & argentei nummi Holmiæ cusi, tanti gaudii monumentũ.

§. 14. *Festum Inaugurationis Regiæ*, die 3 Martii, Anno 1698, tanta cum pompa peractum est, cui nunqvam Aboæ fuerat par; ad contestandum gaudium subditorum eximium, Potentissimi & Clementissimi Regis CAROLI XII, ad tanti imperii gubernacula fausto alcensu exortũ; animoſq; eorum, propter obitum Beatissimi Regis CAROLI XI funestum, saucios reficiente. In stabilimentum justitiæ, *Regium Dicasterium*, Anno vergentis seculi 23, die ult. octobris inauguratum est.

§. 15 *Fortuna* non semper adeo prospera usa est civitas nostra Aboënsis: sæpius enim præter hostiles ignes, jam memoratos, fortuito *incendio* deflagraverat; idqve qvantum notatum invenio (*b*) vicies; inqve iis Templum septies: seculi, scilicet, qvarti Anno 25, tota urbs cum Templo: 29 pars orientalis, Templum & cœnobium; 59 sacra Ædes & urbs universa fulguris flammis delebatur: 73 qva partem cremabatur. Seculo qvinto, & qvidem Anno 37 coenobium; Anno 46 maxima pars una cum Templo; Anno 65 qvædam pars; ut & 69; nec non 92: sed 94 tota urbs, totum cum campanis

(*b*) Ajantieto *Finn. Wex. l. 7. c. 6.*

panis Templum, in cineres redacta sunt. præsenti vero seculo septimo, ejusqve Anno 1 Mâtâjârwi: A. 3 maxima pars urbis; A. 14 conflagravit Arx: A. 18 pars qvædam parva: sic A. 24 unus tractus: A. 56 exusta est pars orientalis urbis, & Templum tunc ære tectū: A. 78 aliqvot iterū tractus: similiter 79 qvædam domus: at Anno 81 die Dom. Trinitatis, Templo, Dicasterio, Curia, Schola, pereuntibus, exigua pars, cum Academia & Bibliotheca, salva mansit: 84 arsere aliqvæ domus.

§. 16 Tulerat qvoqve hæc urbs, una cum tota regione, aliqvot *pestis* incommoda; utpote, Anno 1529 grassante contagioso morbo, Sudore sc. Anglico. Anno 1588 pestis vicissim immanis has oras peragravit: sicut & Annis 1603, atqve 1629 cuncta prope hic Aboæ prosternens. Anno 1657 multorum qvoqꝫ causabatur mortem. nec Annus præterlapsus 1698 liber censetur ejus mali; qvo homines 1421 hic Aboæ *fame* dira plerumqꝫ perierunt, similiter antea Annis 1649 & 1650, eadem frugum inopia, insignem numerum & freqventiam plebis imminuit. Nec levia, præter illa mala, *aqvæ eluvies*, inundante interdum amne, damna minata est: ut A. 1612, dum

pontem, & illum qvidem ſatis excelſum, abſtulit, & qvasdam domus evertit. A. 1685, Dominica Trinitatis, tantum aqvæ depluebat Aboæ, ut lintribus in plateis navigari potuiſſet. Taceo alia: qvalia, ne unqvam amplius ſint deſcribenda, voveo.

CAPUT TERTIUM,

Statum Politicum & mores Aboënſium ediſſerens.

§ I.

Promiſſi memor, ea hoc capite ſubjungam, qvæ ad notitiam politiæ urbis noſtræ faciunt: idqve commodiſſime perfici cenſeo; dum de *forma regiminis* pauca dicantur: additis, qvæ in hac civitate habentur *judicia*: deinde etiam, de *militia, commerciis, artibus, literis, ſermonis genere*: atq; demum de *religione* & *moribus*, aliqva adjiciendo. qvæ cum omnia ex ſolius urbis conditione monſtrari neqveant; ad communia toti genti, parum divertam. ordinem porro iſtum ſervabo: qvod primum, ut antiqvitus ſe hæc omnia habuerint, breviter perſpiciam; poſtmodum, ad præſentia deſcendens.

§. 2.

§. 2. *Status*, hic, *regiminis* Monarchicus, a principio obtinuerat; utpote antiqviſſimus (*a*) & uſitatiſſimus qvoqve priſcis. eum, in noſtra gente primus poſt diluvium, maximus Japheti filius Magog (*b*) fundavit: procul omni dubio etiam, poſt ſe, incolis, eosdem, qvos in univerſis orſus eſt, mores, relinqvens atqve demandans: qvamvis enim hinc in Sveciam habitatum ipſe conceſſerit; tamen & noſtram, ipſum filiosqve, Finlandiam rexiſſe, veritati omnino eſt congruum: etſi poſtea, a ſubditis, hoſtes, temporum injuria facti fuerint majores noſtri, & ipſi ſibi ſuos eveherent Reges.

§. 3. Fulcrum ſane aſſertioni noſtræ præbet qvarundam vocum patrii ſermonis, genuinus ſenſus: utpote (præter nomen regale **Cuningas**/ qvod num a Svetico **Konung**/ vel hoc ab illo, derivatum ſit? meam in præſentia non facio controverſiam; licet poſteriori aſſentiar) **Ruhtinas**/ qvod noſtra lingva *Principem* deſignat *poteſtatis abſolutæ*: & **Waldacunda**/ tantum *terræ ſpatium, qvod unius dominio ſubjacet*, ex ipſa fontis **Walda** ſeu *poteſtatis* interpretatione, ſignificans; nunc

(*a*) *Salluſt. Bel. Cat. p. m.* 1. (*b*) *Joh. M. L.* 1. *c.* 4. *Paul. Got. L.* 2. *c.* 5.

nunc tamen usus soli regno hoc adaptavit nomen, minus apte Ducatui vel Reipublicæ conveniens. qvæ qvidem vocabula non frustra esse orta autumo; ni & ipsæ res, iis significatæ notionibus, adfuerint: præcipue, cum ea, qvæ certo novimus, ejus ætatis majoribus nostris, ignota fuisse, & deinceps aliunde advecta, etiam peregrina sortita esse nomina, qvæ Finnicæ non sunt originis, ejus tamen nunc civitate donata.

§. 4. Præterea, exemplis ductos proavos, in regno potius, qvam alio imperii genere vixisse, puto, tam suorum majorum, qvam etiam vicinarum gentium: qva prius; notum est, *patres* tum *antediluvianos*, qvemq; *in sua familia, plena atqve monarchica gaviſos potestate (a)*; cum etiam ipsum Noachum, atqve filios ejus, inter suos imperium habuisse: illos, porro, suis iterum filiis, cum terræ, qvam ipsis assignarunt, dominio, etiam in liberos & servos potestatem reliqvisse: qvo pacto & noster *Magog suis imperavit comitibus (b)*; & posteris eundem commendavit statum. posterius patet ex omnium gentium

(a) *Puf. de off. hom. & civ. L. 2. c. 1. & 3. conf. Gen. 14. de Abrahamo (b) Joh. M. L. 1. c. 4 Paul. Got. l. 1. c. 14. & l. 2. c. 5.*

tium Hiſtoriis; eas ſemper Regibus paruiſſe, præſertim priſtino illo ævo. adde qvod ex Sveticis (*a*), & Moſcoviticis (*b*) apparet annalibus; illis populis ſuos, ut & Danis (*c*), & Norwegis (*d*), Germanis (*e*), & Vandalis (*f*), fuiſſe principes. non ergo hæc regio ſola aliis potuit vivere moribus.

§. 5. Clariſſime id tamen ex hiſtoriis unicuiq; clarum evadit; ubi multorum nomina recenſentur Finniæ Regum: qvorum qvidem aliqvalem etiam (*g*) antea mentionem injeci: ſed tamen ideo, qvod de pluribus nihil ajant Chronica, non exiſtimandũ, non alias, niſi iis temporibus, Reges hic fuiſſe: nam Svecos, non contigit, cum noſtratibus confligere omnium Regum ætate, aut aliqvid aliud memoratu dignum tractare: nec fuit iſtorum Hiſtoriographorum intentio, de Finniæ rebus, niſi ex occaſione, aliqvid inſerere.

§. 6. An vero abſolutum iſtis Regibus fuerit *dominium*, maxime operoſum eſt diſcute-

(*a*) *Joh. Magni. Erici Ubſ: Laur. Paul. Gothi. Petr. Petreji. Joh. Locc. Sam: Pufend. &c.* (*b*) *Petr. Petreji.* (*c*) *Saxo Gramm. Alb. Krantz: Meurſius &c.* (*d*) *Snorro Sturleſ.* (*e*) *Sax. l. 1. Cluver. l. 3. c. 8. Julius Cæſar Bell. Gall. l. 6. c. 5.* (*f*) *Joh: M. Chron: Norw. Alb. Krantz.* (*g*) *vide ſupra cap. 2. §. 7.*

tere; cum caream antiqvarum noſtræ gentis rerum ſufficienti notitia: puto tamen, ſi conjectura valet, vicinorum Scandianorum uſos fuiſſe moribus noſtros Fennos; non plane abſolutam eis conceſſam fuiſſe poteſtatem in ſubditos: cum memoriæ proditum ſit *a*), illos, ſi tributa populo imponere vellent, ſi militiam efflagitarent, vel qvæ alia Regi neceſſe erant, ſemper in conventibus ſuis, Sveт: Ting/ plebis & judicum conſenſum petiiſſe: qvi ſi contradixiſſent, irrito negotio abire oportuit principem. qvi ritus num hic qvoqve obſervati olim fuerint, fateor me latere.

§. 7. Pariter de *ſucceſſione* Regum noſtratium antiqvorum, an ea hæreditaria fuerit vel electitia, temere qvid affirmare neqveo; omni indicio ejus rei deficiente me. ex exemplo tamen Sveonum credo; primarum generationum aliqvot, jure hæreditario imperium tenuiſſe: poſtmodum vero, ſinceris adhuc aurea iſta tempeſtate hominibus, & non ut hodie apud nonnullos obtinet periculoſa electione, ſi Regum liberi minus fuerint virtutibus dediti, vel aliqvem intellectus aut

(a) *Chron. Norw. paſſim.* Herwara Saga. Göttriks Sag. Herraudz och Bosa Saga.

aut judicii habuerint defectum, ſubditos, ad optimum, qvi ipſis videbatur, vel pro indole eorum temporum ſapientiſſimum reſpexiſſe, ne dicam fortiſſimum, eiqve contuliſſe cum faſcibus jus in ſe Regium.

§ 8. Poſtqvam Civitas noſtra, cum toto magno ducatu Finlandiæ, tempore Erici 9 Sancti, Sveciæ imperio ſubjiceretur; Sveticis etiã Monarchis qvieta paruerat, electione in regni habenas evectis, usq; tempora Guſtavi 1; dũ in univerſalibus regni comitiis, ejus meritis in patriam penſatis, ut & horrendis illis tumultib⁹ conſideratis, qvi juxta electiones Regum ſæpius exarſerant, in ejus familia, Regiam dignitatem conſeneſcere, ſtatutum eſt, hac lege: ut proles ſemper Regia maſcula præ fœminis prærogativã haberet; deficiente autẽ iſta, ſumma illa potentia etiã ad has devolveretur (*a*): qva ratione, Majeſtas nullo humano limite circumſcripta, jam ad Clementiſſimũ Regem CAROLUM XII pervenerat; *cujus DEUS omnigena benedictione proſperet imperium.*

§. 9. Perſpectis jam, qvæ in regiminis forma, in hac Civitate notatu digna fuere; deſcendam, ad contemplandos inferiorũ *Magiſtratuum ordines, jura, & reliqva.* qvalis

G autem

(*a*) *vid. renov. Norcop: Ulr. Hæred; A. 1604.*

autē hic ab initio administratio politica, qvi magistratus, qvæve leges, rudis ætas involvit, nobis istud scientiæ cōmodum invidens. primis qvidē temporibus, nullas habuisse leges, Finnones magis, qvam cæteros, persvadeor; nisi qvas natura & honestas insculpserat: inclinantibus autē desideriis mortaliū magis magisq; ad damna proximi: necessario factæ sunt leges, tam hic (*a*), qvā alibi: secus enim civitas tam firma stare neqviviſſet, dissentientibus cunctorum animis ob injurias invicem illatas; ni cohibuissent leges atqve concordiam stabiliviſſent. indigitat idem vox Fennica Kåtåjå/ Svet. Ting/ *publicos conventus* denotans, ubi jus plebi dici consvevit; qvod nomen adhuc ruralia judicia retinent.

§. 10. Postqvam cum Svecia unum regnum cœpit constituere Finnia, iisdem gubernata est legibus: *eratqve Aboæ, cum Rex ipse adesse neqviverit, homagium a civibus, Regis nomine sumendum a Drotzeto, vel alio Regio Consiliario, una cum Episcopo* (*b*). *sic & in judiciis*, Råfst-Ting *vocatis*, qvæ Rex qvotannis semel, in unaqvaqve provincia exercere solebat, in justitiæ inqvisitionem; *absente Rege, Episcopus cum*

(*a*) *vid. Wex. L. 5. c. 8. & Reg. Car. 9. præf. ad Legist. Svet. a Locc. Lat. versum.* (*b*) Kong. B. LL. c. 6. §. 2.

cum duobus, quos vellet, aliis, ex Consistorio suo, & Legifer cum duobus Regni Senatoribus, aut Nobilibus aliis, Aboæ id administrarent (a): idque prima luce post festum S. Henrici (b). quæ civilium rerum cura, ecclesiasticis, post acceptam Evangelicam religionem, ademta est. *Armorum itidem lustratio, septimana post diem S. Petri, solebat hic institui (c), ab ordinatis ad id a Rege viris (d).* Peculiaria *Judicia urbica* duo, ut nunc, fuerant: *Inferius in foro: ubi Prætor cum duobus Senatoribus causas cognosceret; & si quis eorum sententiæ acquiescere nollet, depositis duabus orulis contra drachmam judicum, ad Senatum provocare liceret: quas pecunias, mutata sententia inferioris judicii, reus tolleret; confirmata vero, dictum judicium (e). Superius illud, 4 olim (postea & tribus) constitit Consulibus, excepto Prætore, & Senatoribus 24, cum Syndico; omnibus indigenis, neqvaqvam extraneis: qvorum duo Consules & 12 Senatores per vices, alternis annis judicarent (f), die Walburgis in officio suo confirmandi (g). provocatio ab eorum judicio ad Regium, concedebatur intra elapsum octiduum, a sententiæ publicatione, depositis, ab illis, 40, à reo vero 20 marcis, victrici parti cessuris (h).*

§. 11.

(a) Tingm. B. c. 10. (b) *ibid. c. 9.* (c) Kong. B. LL. C. 11. §. 1. (d) *ejusd. Tit. c. 12.* (e) Rådst. B. c. 5. (f) Kong. B. St. L. c. 2. (g) *tit ej. c. 1.* (h) Rådstb. c. 5.

§. 11. Nuperioribus autem temporibus, hæc paulisper sunt immutata: scil; qvod Senatorũ nunc unus Infimo Judicio præsideat, cum assidente sibi Notario, & duobus civibus, effluxo trimestri spatio mutandis, qvi, qvantum de lite ipsis notum, Judici narrabunt; idq; in peculiari *Camera*: Svet: Kämners Rätt nuncupatur. in Superiori, nobis amplius non sunt nisi duo Consules, alter Justitiarius audit; alter etiã artificũ congregationibus præsidet, comercii curã gerit, ædilisq; pariter salutari svevit: & octo Senatores, iiq; perpetui: adjunctis Secretario & Notario, eorũq; Amanuensi: & ad mandata Senatus obeunda, sunt Prætor urbicꝰ, Exactor, apparitores, præfectꝰ vigilum, & lictores. præcipui etiam habentur causarũ Patroni, qvi litigantes instruant de forma processus, vel eorum partes peragant, ne hi, bonam suam sæpe causam, ex ignorantia subvertant, vel alias incongrue coram judicio se gerant: isti juramento se obstringunt, ne manifesto iniqvam & perversam suscipiant litẽ fovendã; qvam pœna procuratori corporalis seqvitur. In appellatione Judices pecuniam nullam amplius deponunt.

§. 12. In locum autem ejus, qvod Rex ipse, omnes ad se, ab inferioribus Judiciis transmissas

missas, vel provocatas dirimeret lites, *Dicasterium* constitutum, qvod Regia auctoritate gaudet, & inde Regium judiciũ dicitur: Præses in eo, semper unus est Consiliariorum Regiorum; nunc celsissimus Comes GABRIEL FALKENBERG: in cujus absentia collegium gubernat Vice Præses, cum undecim Assessoribus: qvorũ antea qvinq; priores cum dicto V. Præside Nobilitatis Classem constituerunt, sex inferiores, Literatorũ insigniebantur nomine: verũ, non ita pridẽ. Sacra Regia Majestas, veram nobilitatem in virtute propriâ, non in claritate prosapiæ tantum æstimans, hunc intervertit ordinem, eumqve superiorem esse jussit, qvi antiqvior federat in judicio; nec amplius curæ est, num stemmate nobiles sint, nec ne, dummodo Regi & Patriæ inservire qveant. ad cætera Collegii munia exseqvenda, adhibiti sunt Advocatus Fisci, Secretarius, duo Notarii, vice Advocatus Fisci, Actuarius, tres deniqve Amanuenses. adsunt & hic Advocati litigantibus auxilio. admittuntur, præterea non pauci ex studiosa juventute intra collegium, ut auscultando praxin addiscant, & ad ejus generis officia, se idoneos reddant.

§. 13

§. 13 Est & *Satrapæ* hic residenti, qvi nunc Generosissimus Dn. Jacobus Bure, suum *judicium*, in tres regiones, Finlandiam stricte sic dictam, Satacundiam, & Alandiam, extensum; qvod antea Generali Gubernatori, in totū Principatum competebat, eminentiori in gradu. Satrapæ, exceptis aliis perplurimis, datum est inspicere; ut suæ præfecturæ incolis, præcipue rusticis, ex æqvo agri, sylvæ, prata, & aqvæ, cum cæteris necessariis dividantur: ut æqvaliter pro modo bonorum tributa imponantur, etiam urbanis: & si lites similia attingentes oriantur, dirimere: deinde procurare rite census exigi, & regio ærario inferri: deniqve, adesse petentibus exsecutionē eorum, de qvibus in judiciis sententia lata est. *Cancellaria* vocatur, ubi plerumq; istas sui officii curas agit; operā ipsi præstantib⁹ Secretario, & aliqvot scribis. paret ei qvoq; Camerarius, qvi tamen qvoq; solus, cum suis amanuensibus, singulare *collegium* constituit; partem negotiorum Satrapæ expediens, æqvam agrorum proportionem cum tributo maxime spectantium, & eorum legitimam numerationem. ad hæc Satrapæ, suorum officiorum rationem, reddent Qvæstor, Secretarii legionum, & præ-

to-

tores rurales: & qvi ſunt alii minorum gentium. In *militaribus judicant* Tribun⁹ & reliqvi Officiarii, ſecundum Articulos militares.

§. 14. Præterea, *judicium* qvoddam hic habetur, Svetice vulgo *Acciis-Rätt* vocatum, a cenſu iſto *Acciis*, qvod pendi ſolet a civibus, pro omni molitura, piſtura, potus coctione, laniena, & qvæ ſunt reliqva: iſte cenſus hic ſolvitur; & ſi qvis eum omiſerit, a Conſule juſtitiæ, & Inſpectore vectigalium, judicatur eundem expendere, addita mulcta: ſic etiam, ſi qvis neglexerit, vectigal debitum in telonariis, pro advecto in urbem, edere, adjudicata Fiſco merce, mulctatur. huic judicio ſubſunt Telonarii, Acciſi & vectigalis Exactores & viſitatores.

§. 15. Peculiare inſuper *judicium* & jus, a Sacra Regia Majeſtate, *Academiæ* noſtræ indultum eſt. Cancellarius, unus ex Conſiliariis Regiis eſt; idemqve maxime, qvi Præſes Parlamenti Holmenſis: nunc Celſiſſimus Comes LAURENTIUS WALLENSTEDT. Pro-Cancellarius ſemper erit, ſecundum tenorem conſtitutionum Academicarum (*a*), Epiſcopus Aboënſis: hodie Reverendiſſim⁹ Dn. Doctor JOHANNES GEZELIUS: qvi, & Rector Magnificus, hic ſemper Profeſſorum

(*a*) *Cap.* 2. unus;

unus; in præsenti Celeberrimus Dn. Prof. Eloqventiæ Mag. CHRISTIERNUS ALANDER, cum undecim reliqvis Professoribus Ord. Senatum absolvunt; præsente etiam Secretario. in Sigillo, suo Academico vaticinium illud (*a*): *Ex mari & aqvilone congregavit eos*: per DEI gratiam, in his terris impletum esse, grata mente & devota ostendunt. jus dicunt in Academicos, juxta Constitutiones Academiæ clementer indultas (*b*), *in qvibusdam casibus peculiare, & a communi jure distinctum*; cætera lex patria civilis peragit; causæ criminales ad Judicium Regium deferuntur. præter dictos ordinarios Professores 12, tres scilicet Theologos, Jurisconsultum unum, & Medicum, ac septem Philosophos, extraordinarii qvidam sunt, nunc Theologiæ duo; nec non Qvæstor, duo Adjuncti, qvorum alter semper Secretarius est (*c*); Bibliothecarius, ejusqve vicarius, sicut & Secretarii. Regiis alumnis 48, omnibus septimanis orationem ex Cathedra declamantibus, & si alia disputatio non impediat, theses a Præside exhibitas ventilantibus, 4 ex ordine Professorū qvotannis præsunt; in dictis disputationibus, eos mo-

(*a*) *Psl.* 107. *v.* 3. (*b*) *qvæ videantur.* (*c*) *Const. Acad.*

moderantes: qvibus & ſuus eſt Notarius. Senatus mandatorum curam gerunt Prætores duo, totidemq; Miniſtri publici, Præfectus vigiliarum, octoqve vigiles.

§. 16. In *Eccleſiaſtico Conſiſtorio*, Epiſcop⁹ cũ trib⁹ Profeſſorib⁹ Theologiæ, & nunc qvidẽ duobus aliis Philoſophis Eccleſiaſtis, præſente a Secretis Notario, qvæ eccleſiaſtica ſunt, atq; in lege eccleſiaſtica A. 1686. a Sereniſſima Regia Majeſtate, edita continentur, judicant. *Si qvid de Templi ſtructura & ordine agendum eſt*; conſultant de iis rebus Toparcha, cum Epiſcopo, & ordinario Clero urbico, ac Conſules; non excluſis, uno, vel duobus, ex civibus honoratioribus. Oeconomus, redituum templi rationem reddet & expenſorum; cunctaqve ad illa ſpectantia curabit. miniſtrantes ſunt, Æditui & veſpillones.

§. 17 Hæc jam ſunt Aboæ judicia; hi conventus; hæc collegia; qvot in nulla alia Svecici imperii urbe, præter ſedem Regiam Holmenſem; qvæ vel ſola, ſine alia dignitatis conſideratione, eam celebratiſſimam reddere poſſent; unde in urbiũ ſerie a Regia Majeſtate ſextus huic aſſignatus eſt locus (*a*).

§. 18. Viſo igitur, qva ratione Reſpublica

H ab

(*a*) *vid. decretum comit. Holm: A. 1640. 26. Jan.*

ab intra tuta sit, videlicet justitiæ cultu; haud indecenter, de externæ securitatis instrumento, *militia*, videlicet, subnecto. fuisse ea opus in Regali qvondam sede, patet: adfuisse Regibus suos satellites, si non alias, certe ad famam adventus hostilis, vel in *præliis, in Finnia satis frequentibus* (*a*), armatos, ex seipso manifestū est. nec penitus inconditam disciplinam militarem veterum Finnonum exstitisse, arguunt tot bella eorum, tot fortia facta, excursiones & coloniæ: adeo ut & Saxo Danicus, Svecis & Finnis non satis æqvus, de eorum tamen fortitudine militari loqvi cogatur; nimirum dum dicit (*b*): *Regnerum Regem Daniæ conflixisse cum Biarmorum* (ut is per contemtum vocitat) *ignobilis vulgi, & despicabilis populi parva manu; & devictum, amisisse illud gloriæ decus, qvod Imperatorem Carolum Magnum superando, acqvisiverat.* unde apparet, fortiter & prudenter etiam, tantum Regem vincendo, pugnasse Biarmos & Finmarchos, qvi ad illos confugerant. Biarmos autem etiam Finnos fuisse, qvanqvam diversis Regibus subjectos; scriptores rerum gesta-

(*a*) *Cosm: Munst. l. 4. c. 34. Laur: Paul. l. 1. c. 26. Bur: p: m: 54. Narsius in ad Mosch. Ruff. Metr:*

(*b*) *Hist: Dan: l. 9. Ol: Mag: l. 4. c. 1.*

geſtarum clare teſtantur (*a*). addam, qvod *Olaum pulchricomum Norwegiæ Regem, furtivam incurſionem in ſe facientem, magna clade affectum iidem repulerant* (*b*). ſit & teſtimonio, excurſio illa adverſus Svecos, tempore Siggonis: de qva prius (*c*). &, ſi omnia alia omittam; obſervatum eſt in Hiſtoriis, multa Finnonum prælia cum Svecis memorari; ex hoſtili etiam animo, Finlandiam, tanqvam Fiendeland / ſecundum opinionem nonnullorum (*d*) dictam; non tamen ſæpius, qvam bis, aut ter, ad ſummum, eſſe victos, ante Ericum ſanctum: cum aliæ innumeræ gentes, ſæpiſſime, Svecorum jugo ſint ſubjectæ; qvibus ſane non valuiſſent reſiſtere, nec tantas alias res efficere; ni ordines in pugna obſervaſſent, & militarem diſciplinam, ſecundum ea tempora ſatis bonam, exercuiſſent. Qvid perpetraverint *Vandali* (*e*)? *gens* ut probavi (*f*) Finnica, qvæ *par virtute Gothis* eſt habita (*g*): qvod tot adhuc ab ipſis denominata loca comprobant: utpote *Andaluſia*

(*a*) *Chron: Norw: c. 21. Atl. Rudb. b. 158.* (*b*) *dict. Chron. N. c. 22.* (*c*) *c. 2. §. 3.* (*d*) *Bur. deſcr. Svec. p. m. 54. Zeil. p. 28.* (*e*) *vid. Wand. Alb. Krantz. Joh. M.* (*f*) *cap. 2. §. 8.* (*g*) *Joh. M. l. 1. c. 20.*

Andaluſia Hiſpaniæ, tanqvã Wandalers hus *(a)*: *Veneti abiis oriundi (b)*: Vindelicia: Vindobona ſedes imperii: Vindiſk marck/ ubi lingvam Finnonicæ mixtam in uſu eſſe, a qvodam vetere decurione, Guſtavi Magni milite, audivi: *Moſcoviæ*, nobis Wändalätſet dicti a Wanaler: Livoni, Carelii, Lappones, extra controverſiam poſiti, ſunt originis Finnicæ: *Finvidia pars Smolandiæ, olim Finnia dicta (c)*; num non a Finnis eam occupantibus? *Fionia inſula Danica, cujus incolæ qvondam Fini dicti (d), denominatur à Finnis (e)*. nec non *Samojedia*, qvaſi Suomi jätti/ id eſt Finno reliqvit, ſcil: incolas in hac regione. nec heic referre pigebit *Juhones & Mattiacos, ſedes qvondam habentes, ubi nunc comitatus eſt Naſſovienſis cum Vetteravia, & Haſſiæ parte, qva Marpurgum olim Mattium (f)*. qvos populos haud inepte exiſtimaverim, non tamen prorſus affirmo, Finnorum colonias, atqve ex Ducum ſuorum Juha & Matti/ id eſt Johannis & Matthiæ nominibus, eam nactos appellationem, qvæ ſingula clare demonſtrant, Finnos anti-

(a) Cluv. l. 2. c. 6. (b) Joh. Mag. l. 6. c. 22. Paul. Goth. l. 3. c. 13 (c) Ol. M. l. 7 c. 12. (d) Ad. Brem. de ſitu Daniæ (e) Grotius in Præf. ad Hiſt. Regum Norw. (f) Cluv. lib. 3. c. 3.

tiqvos militiam calluiſſe, cum eas potuerint capere regiones, & ſedes retinere. inde hæc fortitudinis teſtimonia, ante MDC annos ab Romano ſcriptore (*a*) ipſis dantur: qvod ſit illis *mira feritas*, nimirum bellica: contrarium enim alias infra patebit. & alibi ait idem: *Finni ſecuri adverſus homines, ſecuri adverſus Deos, rem difficilimam aſſecuti, ut illis ne voto qvidem opus ſit.* egregium ſane gentis noſtræ elogium! qvid enim illa ſecuritas, niſi Finnonicorum armorum terror, apud vicinos populos? qvid? niſi inſigne bellicæ virtutis encomium.

§. 19: Qvalis autem vetus illa noſtratium fuerit militia, pedeſtris ne, an eqveſtris; vel num etiam navibus pugnare ſveverint; paucis inqviram. *pedeſtres fuiſſe rupturas*, in conflictu Olai Norvegi cum Biarmo Finnis qvidem legimus (*b*). alias tamen qvoqve conſtat, in peditatu, optimas eſſe vires; & illis commodiſſimas: ſi ſubitæ ab hoſtibus fierent impreſſiones, potuiſſe repentino in caſu, non tam ordinari eqvitatus, qvam pedites cito cogi in juſtam aciem, & hoſti objicii. cum ipſi, autem, alios, eadem incurſionum arte, infeſtarent, *neceſſe eſt eqvos adfuiſſ*

(*a*) *Tacit. in fine libri de Germ.* (*b*) *Chr. Norw. c. 21.*

fuiſſe illis: ſiqvidem, nec totæ acies, ei negotio adhiberi potuerunt, ceu tumultuario, nec accepta præda, vel damno facto, parva manu conſultum erat, reſiſtere hoſti occurrenti: ſed, ut in ſimilibus mos fuerat, acta præda, aufugere: cui, utiqve, humanæ currendi vires, etiam ſpoliis aggravatæ, non ſuffeciſſent; ni jumentis potius impoſitas ſarcinas ſibi conſervarent, & ſemet eqvis ipſos periculo eximere ſtuderent. Sed *nec naves eis ignotæ*, aut extra uſum fuerant; in Finnica enim lingva, *maximi generis navis* appellatur Laiwa/*cymba* Wenhe/*linter* ruhi/ &c. venit præterea, Magog, ex Schytia in Scandiam, *trajiciendo maris Venedici ſinum* (a): unde, noſtris ignotum navigiorum commodum, exſtitiſſe neqvit, qvi ipſi tunc navibus eſſent vecti, & eas fabricaviſſent. & qvod in militaribus qvoqve expeditionibus uſurpatæ fuerint, oſtendit Sigtunæ fundatio: qvæ, ut ſæpius dictum, ob Finnonum irruptionem in Sveciam, procurata eſt & effecta. qvam qvidem mari factam, nos docet, minima inter Finlandiam & Sigtunam diſtantia, 40 ferme milliarium, ſi recta mare tranſcurras; maximum vero & difficilimum fuiſſe iter terreſtre, circumeundo totum Bothnicum

(a) *Joh. Mag. l. 1. c. 4.* Si-

Sinum, ultra 200 milliaria: nec concedimus, per Finnos illos, maxime ſeptentrionales, intelligi, qvibus ſane via terreſtris longior maritima non eſſet; ſed meridionalem potius plagam incolentes; conjunctis Æſthiorum viribus, qvib⁹ fere impoſſibile eſſet, tantum itineris terra perſeqvi, tales adornantes expeditiones. ut jam non memorē *navalia noſtrorum cum Ruſſis prælia (a)*. & qvod non inconſulto, urbē, fundatores ej⁹, in loco mari tā propinqvo, evexiſſent; niſi reſpectu utilitatis ex navigatione: nam alia, civitatis, ad littus poſitæ, cōmoditas, vix ſe inſinuat.

§. 20. *Modum* veterem *pugnandi* apud Finnos deſcribit Olaus Magnus (*b*). *Qvod nimirum, ſecuribus dolabrisqve uſi fuerint adverſus latrocinantes Moſcovitas: fundis & jactilibus ſaxis, primos eorum fregerint impetus, tam experti jaciendo, ut nullus fruſtra pereat jactus: longas qvoq; habuerint haſtas abietinas, qvibꝰ clavū præfixerant: ſolitos etiam reſtes, tanqvā laqveos, hoſtibꝰ injicere, iiſq; ad caſum eos ſolicitare: ut & funiculo, qvatvor vel plures palmos longo, ad baculum alligato, ejus q; extremitati addito lapide, eqvorum pedes involvere atqve poſternere: nec non mordacium interdum canum adjumento uti.* ea in repentinis tumultibus

(*a*) *Coſm. Munſt. l. 4. c. 34.* (*b*) *l. 11. c. 12. 13.*

bus fieri. habere autem & justa arma: *lanceas, jacula, gladios, & pugiones; & præsertim arcubus (a) præcellere.* defensiva in subitaneis arma fuisse, ut & in prævisis bellis, *galeas ex ungvibvs boum & rang ferarum ingeniose connexis, & qvibusdam exuvias volucrum ferreo filo munitas; demum corium super ligno ad formam capitis contractum & aëre siccatum; thoracis vero loco, hyeme pilosas pelles, superfusa aqva in glaciem coëunte, indurata. alias sapissime clypeos.* usurpasse eos etiam interdum *munimenta glacialia (b). & loco fossæ in circuitu ruptam glaciem, eamqve sic apertam conservatam assidue.* ex qvibus prudentia eorum militaris clare elucet. &, nec caruisse eos arcibus & munimentis terrestribus, præsumi potest; qvanqvam taceat de iis historia.

§. 21. Hodie, licet ordinarie, excepto insigni prorsus civium armatorum numero, nulli Aboæ sint milites, nullaq; alia præsidia, ideo de moderna militia non aptũ videatur differere: qvod tamen & illa, qvæ ruri habetur, si necessitas exigeret, in urbis tutelam daretur, de ista pauciſſima dicam: abundat Finlandia, tam copiis terrestribus, qvam nautis, in omnem casum paratis. arma illis similia aliarum Europæ nationum armis; eadem qvoqve excercitia. qvantum

(a) *Ol. M. l. 4, c. 4.* (b) *l. II. c. 28. 34.* au-

autem valuerint in bellis Finni ſemper, variæ occaſiones dudum comprobarunt. non eſt minimum, qvod Svecis ubiqve mixti, paria & felicia patraverant; juxta illud(*a*):

Finnoniis mixti Sveones mandata capeſſunt:
Utraqve gens operis ſedula, Marte potens.

Sed vis magis? unicum dabo, etſi plura ſuppeterent exempla: *Jacobus Pontus Delagardie, adverſus Polonos pugnans, cui expeditioni Finni ſumum momentum contulerant* (*b*), *3 eorum ſigna, duobus Finnorum ſignis delevit* (*c*). aliud ſupra memoratum (*d*); *qvod DC Finni ruſtici, CM Moſcovitas profligaverunt.* En! ex liberalitate tertium: Cum Poloni ad Wallhoviam cæſi eſſent;

Finnonica imprimis hæc parta a gente trophæa,
Dum gens ſpectatrix cætera Martis erat.
Finnonium ſolitus riſu contemnere robur,
Qvam bene Finnonio turgidus enſe cadit (*e*).

& adhuc maximum; Finni maxime erant, & perpauci alii (*f*), cum qvibus Guſtavus Magnus

(*a*) *Narſius in de Duna ponte ſtrato.* (*b*) *Joh. Widekindi bell. Svec. in Moſc. geſt. l. 1. c. 10. 13. & l. 3. c. 22.* (*c*) *Loce. l. 8.* (*d*) *cap. 2. §. 8. ex Bur. p. 42.* (*e*) *Narſius in Poëm. Miſcell.* (*f*) *vid. Orat. Heinſii, Skytes, Buchneri, Virdungi, p. m. 155. proſa Winſemii, p. 268. Gebhardi, &c. &c.*

gnus Germaniam perrupit, uſqve terminos Italiæ; ubi audientes Finni priſcorum Gottorum, & ſuæ propaginis Vandalorum, res Romæ geſtas, qvantum ſibi viæ Romam reſtaret, ſciſcitati ſunt, ut eorum facta exæqvare poſſent, & Papæ condignum tribuere præmiũ: unde tale ipſis encomiũ prognatũ: *ſtabant Finni, ut exili corpore, ita valido, compacto, inconcuſſo, vi atq; animo, qvi mille paſſus ſupra corpus emineret; qvi ut mortem metuant, aut hoſtis cauſa loco abeant, non magis exſpectandum, qvam ut elementa rerum, viribus humanis cedant, &c.* (a). Et aliud: *Finnonibus, inexhauſtus hoſtes ſternendi ardor, novum* HACCAPELORUM (Hacka päål id eſt: pro viribus cæde, feri, verbera) *peperit vocabulum; vocabulum, ad cujus auditum ſemper exinde Polonia contremuit, qvodqve poſtea Auſtriaci & ſacri (ſi dis placet) fœderis defenſores raro ſine horrore, ſæpe cum fine vitæ acceperunt* (b). Tertium addo:

Tomento non Fennus eget, ſapraqve caducum
Fortunæ poſitus, non hanc, ut cætera turba,
Nec voto, ſecurus adit. ---- & poſt pauca:
Non timuit gens Fenna necem, ceu turbine qvodam
Vecta per adverſas ſparſit ſe totæ cohortes,

Pro-

(a) *Heinſii Paneg. ad Guſt. p. m. 25.* (b) *Benedict. Skytte. parent: in G. A. p. m. 19.*

Propositum factura mori, vel vincere dextra,
In qva fata ferat - - - -(a)

Indeqve *Finni*, *Martis pulli* (*b*), *Ad bellum non facti, sed nati esse videntur* (*c*). Essent sexcenta alia, qvæ enumerantem dies deficeret. At tantam in viris fortitudinem ne mirere; cum & mulieres nostrates, eo audaciæ processerint, ut bella olim gererent & arma tractarent: namqꝫ A. C. 53, *Qvenlandiæ* (*qvæ Latine dicta terra Fœminarum & Amazonum, vere Finlandia est* (*d*)) *Amazones, cum 80 annorum bellum gessissent cum Emundo Sv. Rege, tandem, cum reliqvis Finnorum attrita sunt* (*e*). qvali animo, nec nunc destituuntur: nuper siqvidem proxime præterito Martii mense, in munimento Neumünde prope Rigã, mulieresuna cum viris suis, oppugnantes Saxones, explosis bombardis depulisse, & spoliatis imprimis cæsorũ cadaveribus, eadem, in defluentem Bullerää/ imperterrito animo projecisse, nuntiabatur.

(*a*) *Pierii Winsemii Paneg: p. 39.* (*b*) *Dan: Ackr: Epist. scrib. Form. cap. 7.* (*c*) *Joh: Frid: Pöpping: Orb. Illustr. lib. 2.* (*d*) *Joh. Widek. Lum. Chron. Atlant. Rudb. Verel. in notis ad Herwarac. 1. Petr. Salan. in not. ad Egilli & Asm. Hist. c. 10. ex fragm. Hist. Ol. Tryggwasonii.* (*e*) *nom: Joh. Widek. Lum. Chron.*

§.22. Verum nec ad *militiam marinam*, inutiles sunt *Fenni*, sed *experti & audaces nautæ* (*a*). occasionem exercendi semet, Aboënses præsertim, & vicini ruricolæ, optimam habent; tum ex navigatione, commercii causa Holmiam semper, & alia ad loca, Germaniæ qvoqve instituta; cum etiam ex piscatione. qvamobrem tenentur omnes urbes certum Regi apparare nautarum numerum: & qvidem Aboa 45. qvod autem aliqvid & in pugnis navalibus potuerint; erit id documento, qvod conjunctim cum Svecis in classibus locati, in omnibus prœliis præclara ediderint facinora: solos etiã aliqvando, se viros præstitisse deprehendo: utpote dum A. 1522, Thomas præfectus arcis Aboënsis, Christierni Tyranni asslecla, cum aliqvot navibus bellicis, commeatu onustis, Holmiam navigans, a Flemingo Gustaviano Amirali, per insidias caperetur, *navis* una *Finnonica Pruitsia dicta, fortiter a meridie ad vesperã dimicans, non aliter qvã igne injecto subigi poterat* (*b*). ob qvalia exempla exteri, *septentrionales & Hyperboreos hos terrores, a DEO asservari credunt, ut pro alia pœna, qvando & qvibus visum fuerit, immittantur* ( ).

(*a*) *Phil. Honor: de statu Reg. Sv. c. 3.* (*b*) *Locc: L. 7. p. 361. & 364.* (*c*) *Locc. L. 6. p. 216.* (*c*) *Nicephb. Greg. Hist Rom. l. 2.*

§.23.

§. 23. Ut vero ceſſantibus armis, præcipuum urbium commodum & finem, *mercaturam* eſſe, notum; atq; ex eo ejuſdem felicitatem æſtimari, qvo majora cum vicinis & peregrinis exercet commercia: ſic operæ pretium erit inveſtigare, num & Aboa noſtra, primis temporibus, ea curaverit. dubium id diu eſſe nequit, conſideranti ipſum urbis nomen Turcu/qvod rerum venalium receptaculum expoſitũ dixi (*a*). ſeqvitur ergo fuiſſe mercaturam hic: at qværis, qvantam? num peregrinis mercibus memorabilem, an proximi ſolum ruris egeſtati adſtrictam? refero meam eſſe ſententiam, repetito argumento, non fuiſſe urbis Auctori curæ, propinqvus ne eſſet amnis, vicinum pelagus; ni iſtam perpendiſſet navibus merces advehendi commoditatem: nec hunc præcipue locum, præ ſalo & flumini inſtantibus, tantum placuiſſe eligi; ſi abfuiſſet portus ratio, in toto ducatu præſtantiſſimi unde etiam abiqve commerciorum uſu, & propter eum inſtitutis peregrinationibus, exteræ, Fennis qvondam notæ, nationes, & hinc illis petita conjugia? ut de *Saxoniæ Rege Henrico* narratur (*b*): illum, *Signen Finniæ Regis Sumbli filiam*

(*a*) *ſup. c. 2. §. 2.* (*b*) *Saxo Gram. lib. 1. p. 8.*

liam, vindicatam a Gramo Daniæ Rege, cui prius fuerat promissa, desponsasse. qvæ voces innuunt pacifice facta ista sponsalia; nec, ut *antiqvis moris erat* (*a*), *raptu & certaminibus. gesta hæc sunt* (*b*), *regnante in Svecia Sigtrugo, altero Grami socero: cujus avus coætaneus Davidi Israelitarum Regi perhibetur* (*c*). & si dicatur bellicis expeditionibus innotuisse hos Reges invicem, & tandem inter ipsos familiaritatem & amicitiam accrescentem, sacro conjugii fœdere confirmatam esse; nec id ad probanda commercia qvidqvam facere: facilis ero concedendo prius; sed & illud, ad commercia dedisse occasionem, qvis inficias ibit? namqve nostros vidisse in remotis a patria oris, dum ibi, aut amice, aut hostiliter versarentur, res sibi domi non occurrentes, & tamen utiles, sibiqve iterum esse qvibus indigerent illi, atqve ex occasione tali commercium instituisse. habetur qvidem notatum, *Norvegos sciurorum pelles a Finnis emisse* (*d*)|: solitos *Hispanos & Græcos, a Magis in* Kyr-

(*a*) *Herod. initio operis.* Göthrikz Saga/ *& nota Scæfferi ad eam. Paul. Got. L. 2. c. 10.* Herwara Saga. Herraudz och Bosa Saga ꝛc. (*b*) *Joh: Mag. L. 2. c. 5. Sax. L. ult.* (*c*) *Er: Pom. Hist: Dan: supra C. 2. §. 7.* (*d*) *Chron: Nor. C. 510.*

Kyrland/ *insularum in mari Baltbico maxima, re/ponſa petiſſe; eamqve eſſe octo dierum iter longam, incipiendo a* Girkſlät (*a*). qvã celeberrimo Rudbeckius (*b*) *Finniam eſſe dicit, denominationẽ illam a ſua parte* Kyro *paroecia Satacundiæ, nactam: idemq; evincere nomen* Kyrkſlät/ *Paroeciæ Nylandiæ, immutatum a* Girkſlät/ *Græcorũ campo;* Girkar *enim, Græci veteribus Gothis dicebantur* (*c*). advenit, *Qvod A. 1686 in paroecia* Uſkela/ *ejusqve villa* Saris/ *inventi ſint nummi Arabici qvidam, & Anglici multorum generum, qvorum noviſſimi Æthelredi Angliæ Regis, eo nomine ultimi, inſcriptionem habuerant, regnantis in fine ſec: 10 a nato Chriſto: atqve aliqvanto poſt, vel eodem tempore fuiſſe illos defoſſos, patet ex eo, qvod poſteriorum Regum nummi in eo numero non fuerant, nec hi prius eſſe potuerunt qvam cuſi ſunt* (*d*). unde concludo commercium Finnones habuiſſe, cum nominatis gentibus, ſi non immediate, cum illis longius diſſitis, cum vicinis tamen.

§. 24. Qva illud autem ratione peractum ſit,

(*a*) *Ad. Brem: de ſitu Dan.* (*b*) *Alt: a 338.* (*c*) *LL. Weſt-Got: tit.* Arfdabolkär. *notæ Verel: ad Hiſt: Gotr: lapides Runici l. 2. a Bur. deſcr.* (*d*) *Theſ. num. Sved: Nobil. Bremneri* §. 10.

ſit, pono hic ut alibi (*a*), primum viguiſſe *mercium commutationem*, ſicut apud vicinos Sveogothos (*b*); & hodienũ Turcas (*c*). ſed, cum res permutandas animadverterent, non ſemper ejusdem eſſe valoris: hinc ut æqvalitas illa obtineretur, exiſtimo, metallo uſos rudi, atqve ad rerum pretium pondere æſtimato; *qvi mos Iſraëlitis proprius fuiſſe* legitur (*d*). pondera vero majoribus noſtris uſitata fuiſſe, innuunt voces Leiwiſkũ 20 *librarum pondo*, & Naula *libra*. at cum & illud non ſemper bene conveniens experirentur, tum ob difficultatem dividendi, in tam exiguum, ac interdum opus erat, cum ob moleſtiam ponderandi, in qvalibet occaſione; nec alias certum erat de æqvalitate pretii cum merce: qvamobrem neceſſe erat ſignari metallum, ſemel juſti ponderis expertum; unde nata commoditas monetæ (*e*), utpote ratio mercaturæ faciendæ facilima. qvam ſi propriam ſibi Aboa habuerit, cauſa ſane dubitandi eſt, nullis apparentibus notis.

ha-

(*a*) *Tacit. de Ger. Puf. de off. hom. & civ. L. 1. C. 14. Oeconomica Geż. part. 2. c. 2.* (*b*) *Locc: Ant: Sv. L. 2. c. 16. Wex. l. 7. c. 1.* (*c*) *deſcr. Turciæ ex Buſbeqvii Epiſt.* (*d*) *Gen. 23. 16. Joſ. 7. 21. I. Par. 22. 25.* (*e*) *Inſp: Jac. Lamp. de natura nummi.*

habitam tamen in Finnia, præter modo allatum thesaurum inventum, etiam indicat Historia *Olai Norvegi, qvi in signo Dei Biarmensium, nummos inventos abstulit* (*a*).

§. 25 Postqvam Regi Sveciæ Aboa parere didicit, nummo etiam usa est Svecico, ipsa tamen diu privilegium cudendi habens (*b*); & egregium mercaturæ fecerat incrementum, hostilitate illa ablata, qvæ grandi prius fuerat impedimento, negotiationi invigilantibus: qvæ celebris sane ante aliqvantum temporis spatium, hic exercita est; fuerant enim hic cives, possidentes; & plura maximi generis navigia: ut præteream coměantes huc freqventes exterorum. nunc autem qvod talia hic non reperiantur, partim ex omnium rerũ vicissitudine oritur; nam

Nullus ubiqve potest felici ludere dextra:

partim, qvod minori molestia, jam Holmia, qvæcunqve necessaria afferunt; nec censent opus ad difficas oras excurrere, cum propius qvæ volunt accipiunt: inq; eum finẽ hic nundinæ habentur ter Anno, scilicet 19 Jan. 17 Jun. 8 Sept: & maximum est, qvod observato lucro, ab exteris, in suis extollendis & huc vehendis facto, qvamdiu nostrates in

K an-

(*a*) *Chron. Norw:* C. 22. (*b*) *sup.* C. 2. §. 12

antiqva ſimplicitate morantes, ea impenſius admirabantur & æſtimabant, qvæ peregre advenerunt, qvam qvæ domi æqve bona, & ſi alias non meliora, utiliora tamen habuiſſent; appoſita cura, jam domeſtica multa, meliori pretio & cultura, digna inveneranr; atqve neglecta a ſe antea: præferunt tantopere placitis prius externis, in vilius jam recidentibus. *nihil enim ad ſuſtentationem, & vitæ humanæ uſum, nobis natura negavit* (*a*); dummodo ea inqvirere ſciamus. ſint exemplo margaritæ in fluminibus noſtris freqventes & pretioſæ; ſint prata cappari referta: qvæ tamen non neceſſaria qvondam ab aliis ſatis care redemta, nunc minori ferme divendimus. Magis itaqvehodie Aboënſibus domeſtica placet mercatura, qvam extranea; licet (proh dolor) & adhuc inſanus ille luxus plerosqve premat, peregrina ut rara & bona, domi nata & obvia ſæpius, ut vilia æſtimantes.

§. 26. Hinc etiam fit, qvod lubentius, qvamvis cariora, & paris, ſi non inferioris dignitatis, qvædam, diſſitis in oris fabrefacta, recipiantur; cum tamen *artes manuariæ*

(*a*) *Wex. L. 6. c. 5. Paul. Got: L. 1. c. 26. adde Ver. in not. ad Herbora Hiſt. Bur. p. 54.*

ariæ, aut olim viguerant, aut hoc tempore vigeant, vel vigere possint, hic æqve perfecto in gradu, si modo diligentia adhibeatur. ut primum ergo sciamus, an aliqvas, & qvas artes, prisci nostrates coluerint; omnis esset movendus lapis, sed parvo cum fructu, cum lateat ea notitia admodum profunde: nisi qvod putandum eos maxime *lignariæ* operam dedisse: idqve ex occasione, qvam natura præbuit, hic, supra qvam alibi, sylvas procreans: cum, scilicet, eas cæderent, ut spatium habitandi & serendi haberent, deinde domos ex iisdem sibi struerent, & ad arcendum frigus uterentur; postea optimi fabri lignarii evadentes: qvod clarum est, non solum ex *navibus illis*, nunc Skutor dictis, *qvas maximis* (Skep) *velociores ædificaverant* (*a*); sed etiam ex artificiosissima illa *Biarmiæ Regis aula*, *qvæ centum habuerat januas*, *inter illas*, *centum fenestras*, *sub unaqvaqve fenestra mensam* (*b*). Idem stat judicium de cæteris artibus, qvarum culturæ natura favere visa est, suppeditando materiam: ut conficiendi ex lana & lino qvæcunqve necessaria, & qvæ sunt plura, ex antiqvitate nobis ignota. §. 17.

(*a*) *Chron. Norvv. c. 399.* (*a*) Herraudr och Bosa Saga.

§. 27 Propinqvioribus certe temporibus, merito Finni, ex re lignaria laudantur: o-ſtendunt id ædificia, terris aliis qvoad no-ſtræ ſtructuræ elegantiam negata; teſtantur naves haud inelegantes & infirmæ; qvas hac qvidem in urbe propter longe advehendam materiã non conficiunt multi, ſed plerumq; a-liis in Finniæ noſtræ locis: qvod hic pariter poſſent, ſi tam bona facultas eſſet ædificandi, teſtimonium ejus rei habe ab Olao Magno, (*a*) dicente: *Gens Finnonica lignariæ artis peritiſſima, ea compagine & robore, vel forſitan meliore, triremes conficere novit, uti inſigni induſtria apud Venetos fieri vidi.* En aliud (*b*): *Ex Finlandia navium ædificandarum magiſtri & operarii in Sveciam petuntur.* artem ſtruendi domos, qvod ante aliqvot ſecula calluerint, indicio ſunt tẽpla lapidea inſignis altitudinis, ut hoc præcipue Aboënſe, & alia paſſim ruri occurrentia, non contemnendi operis: & arx ceu vetuſta ſatis, & cæteræ recentiores. ne jam memorem *ſubterraneam* illam *porticũ* in longũ porrectam, qvam e Schola Cathedrali ad templum Divæ Mariæ, antiqvitus Monachi perhibentur effodiſſe; illa qvanqvam incumbenti domorum moli, arvis, & ipſi amni ſub-

(*a*) *L. 10. c. 3.* (*b*) *Phil. Hon. de ſtat: reg. Sv: c. 2.*

ſubjecta ſit; tot tamen annis, qvantum novi, vitium non fecerat; egregium certe ſuum commendans artificem. de mulierum aqvilonarium induſtria hoc habeo (*a*): *qvod miro ingenio incumbant texturis lineis laneisqve, formasqve excipiant texturæ ex floribus, iride, aut frondium umbris, ſuper aqvas ſole ſplendente reflexis: retiaria vero intexta filorum opera, aqvilonares mulieres facillime antecedunt reliqvos orbis artifices.* qvod adhuc experientia dicit verum; qvamvis luxus id Aboæ nunc non nihil vetat fieri. Etſi & hodie *lintéum* a textoribus hic conficiatur, cui cedere bonitate cogetur Sileſicum & Veſtphalicũ: imo Hollandicum tuto addere poſſem, prætereo tamẽ ejus mentionem, ne invidiam incurram. texitur ab iiſdem *pannus* veſtibus uſitatiſſimus, etiam ille qvi *Calminck* nobis dicitur, & plurima alia jam feliciter imitantur noſtrates. omnia artificia prolixum foret enumerare; neqe reduco, qvæ notiſſima ſunt, & toti orbi communia, recenſere; contentus ea demonſtraſſe, qvæ in excellentia qvadam culta ſunt, licet jam nulli ſumma arti opera deſit (*b*).

(*a*) *Olaus Magnus lib. 13. c. 9.* (*b*) *conf. Narſium in de Duna ponte ſtrato.*

§. 28. Præcipua heic impenditur cura *cibis*, tam *comparandis* variis modis, qvam elegan-ter *apparandis*, qvo in negotio Aboa noſtra nulli cedit urbi, nec Finnia regioni: *rumpantur ut ilia momo. Fruges*, ne corrumpantur, ſi diu-tius in acervo jaceant, in domibus propterea factis, nobis Riihi dictis, exſiccantur: qvo fa-cto, ſi vel qvam longum tempus imotæ eſſent, bonitati nihil decederet. *Carnes & piſces*, ſale, ſole, & fumo, in diuturnam durationem præ-parantur. *Eſt nobis caſeorum laudatiſſimus ſapor, cum celebratiſſimis Parmenſibus certaturus* (*a*). Eſt *butyri* magna copia, & *lactis* multifariam ſervati: pinſuntur lapidi *panes*: coqvuntur *cibi* optimi, innumeri: apparatur *potus hor-daceus*, extraneis ſvaviſſimus; ſublimatur *vi-num*. Peculiari & alibi non viſo pulmenti ge-nere utuntur & noſtri, ex ptiſana ſiliginea primum cocto, dein adinſtar panis, in vaſis tamen corticeis, Fennis Tuohi towe / for-nacis calore toſto, qvod vocatum Mämmi / coloris qvidem nigricantis, ſed inſignis dul-cedinis eſt; & in memoriam azymorum die Paſſionis Chriſti comeditur. Adhæc ſingu-laris uſurpatur ſpecies panis optimi, ab aqva ferventi Wariteipä denominati. qvæ omnia apud nos, non coqvi, & piſtores, & potus co-

(*a*) *Ol. M. capite* 8.

ſtores, qvorum præcipuum penes alios officium, imo magnum artificium exiſtit, ſed mulieres ſingulæ, in his & omnibus aliis domeſticis negotiis perfectæ, procurant, peragunt & efficiunt: nam qvælibet fœmina, qvæ hic nata, induſtria & proba dici affectat, illa callebit: ſin minus, Oeconomiæ bene gnara, qvod eis, ultra qvam alienigenis, magnopere cordi eſt nomen, non audiet, ſed probrum pro honore reportat. magnum earum rerum adjumentum, eſt cura *hortorum*, qvæ nec penitus hic langvet, ut cuiqve obvia & expoſitione non eget; cum eam omnis generis *aromata* hic naſcentia prædicent; imo *crocus* ruri inventus; loqvantur *poma*, *pyri*, *cerafa*, & cujuſvis ſpeciei arbutei fructus: & qvod præcipuum eſt, *uvæ Aboæ crefcentes*, qvas ſe *vidiſſe*, *palpaſſe*, *guſtaſſe*, teſtatur de patria eximie meritus, beatæ memoriæ Michaël Wexionius Gyldenſtolpe (*a*): & *citrus* ante annos circiter triginta, in flaminia Wirmoenſi, jam floribus luxurians, poſtea vero ex incuria exareſcens. qvæ ſingula gentis ingenium illuſtrant. Ut & *Sal*, olim in *Bothnia coctum* (*b*); & noſtra memoria in Alandia. Nec minimum faciet *ferrum*, qvod in Rautalambi Ta-

(*a*) *in deſcr: Su. l. 6. c. 5.* (*b*) *Ol. M. l. 13. c. 6.*

Tavaſtiæ, *ex lacuũ fundis extrahitur, inprimis rudi maſſa contectum; poſtmodum autem arte a ruſticis ſeparatum & variis uſibus aptum (a).* atq; ſic apparet ſcientias & artes qvaſcunq; neqvaqvam neglectas hic eſſe, ſed egregie omnino cultas.

§. 29. Officinas ſuas cuiq; arti addiſcendæ eſſe certum eſt, *nihil enim ſine magno, vita, labore dedit mortalibus:* induſtria opus eſt & diſciplina; qva utiqve naſcentes deſtituti, temporis progreſſu paulatim imbuimur. ſic etiam ea majores noſtros non caruiſſe ſpero; qvalis autem & qvæ illa fuerit, haud ineptum erit perqvirere. mihi qvidẽ aliud non ſuccurrit; qvam vetus qvoddam carmen patrio ſermone compoſitum: de cujus veritate ſi qvis dubitaverit, ſciat, apud priſcos qvoſcunqve populos, anteqvam norint res geſtas literis conſignare, & per hiſtorica ſcripta poſteris commendare, fuiſſe in uſu talia carmina, qvibus heroum & principum facta decantari ſolebant in conviviis; eaq; apud Sveogothos tantæ auctoritatis, *ut non dubitarit inſignis Hiſtoricus Johannes Magnus (b), ex iis ſcripta ſua roborare;* qvod & ab *aliis apud eoſdem*

(a) *Bur. derſc. Sv: p. m. 58. Zeil. p. 32.*

(b) *Præf. ad Hiſt. Sv. c. 7.*

dem fieri obſervatum (*a*). *Gallis idem uſitatus fuerat mos, ex Anglia oriundus* (*b*). nec non *Romanis* (*c*): & *Norwegis* (*d*). *Turcis etiam adhuc* (*e*). *Germanis, ea unum fuerant memoriæ & annalium genus* (*f*). *imo ipſi Dei populo*, hunc ritum, decantandi heroum facta, fuiſſe familiarem conſtat (*g*). cur non & apud noſtros, eandem conſvetudinem floruiſſe, qvis concedat? videns tantam in ruricolarum ore iſtorum carminum copiam, non niſi antiqva geſta memorantium. nec nobis illa fides derogetur, qvam alii ſibi ex paribus venditant. contenta igitur memorati carminis hæc ſunt: qvod Anderus Pyhäjoelda/ Pyhäjoen poica pyhä/ tuli Couluſta cotta: id eſt, *Andreas ex* Pyhäjoki/ *Bothniæ orientalis parœcia, venerit ex Schola domum; & interrogatus a matre,* mitäs poican cotia tulit? ongo Coulu cohdallanſa/ Turcu Uuſi toimeſanſa? *cur domum venerit: num immota ſit*

L *Scho-*

(*a*) *Loce. Ant. Sv. l. 2. c. 15. & 21. item Hiſt. Sv. l. 1. c. 1. Ol. M. l. 1. c. 36. & l. 2. c. 1.* (*b*) *Jul. Cæſ. de Bell. Gall. l. 6. c. 4. Barcl. Arg. l. 4. c. 8.* (*c*) *Cato in Orig. Cic. l. 1. & 4. Tuſc. Quæſt:* (*d*) Kong. Sagan. (*e*) *deſcr. Turc. edit. Lugd. Elzev. ex Buſbeqvii Epiſt.* (*f*) *Tacit de Germ. Alb. Krant. Wand. l. 1. c. 8.* (*g*) *2. Sam. 1. & 3.*

Schola, & Aboa nova vigeat? respondet ille: se venisse ad ducendam uxorem, eamque ex Kokemäki *Svet:* Cumå: *negabat primum mater, verita ne repulsam pateretur, sicut alii quidam ex Svecia nobiles, & Bothnienses divites: instante autem illo, sibi cum illa familiaritatem esse; tandem concessit. quamobrem adornatus bene equis, servis, & armis; inter ea 7 clypeis, ex quibus* Yljän Kilpi Cullan kijlsi/ caicki muut hopian hohdit: *proci clypeus auro resplendescebat, reliqui omnes argento fulgebant: sic profectus acceptus advenit. sed sponsalitiis peractis, satis ipsa cessit, mœrorem pro dote summum, Andreæ redeunti domum, relinquens.* colligo hinc, in nova tunc & nuper translata urbe, fuisse *Scholam*, illamq; non vulgarem, sed *nobilium adolescentum*; ubi scilicet una cum literis, omnis generis nobilium exercitia, maxime circa militares res occupata, addiscebantur. id infero ex eo; quod hic Andreas domum ad nuptias profectus est, non sane nisi adultus, & virtutis suæ conscius, cum & talem virginem ambire sustinuerit, quæ egregios antea viros repudiaverit, & huic nupsit: cujus nobilitatem etiam servi, equi, & clypei satis evincunt. eum autem ab aliqua Historia non sim in-

for-

formatus de tali Schola, & urbis translatione, tempus eorum præscribere neqveo: antiqvum vero hoc esse factum novi, qvoniam recentiora, & præsertim post seculum tertium decimum gesta, nobis sunt tradita; Aboæ vero novitas, procul retro ab iis temporibus recesserat, ignorata cunctis.

§. 30. An & *literarum studiis*, istis temporibus sua fuerit cultura & officina, ambigunt multi: plurimi negant, talia producentes ratiocinia: *nullum literarum in tota Finnia exstare indicium;* cum tamen apud vicinos Sveogothos, id ex monumentis antiqvissimis eruere sciant. deinde, *nullam de ipsis Finnis, & ab iisdem conscriptam Historiam*, arguere barbariem eorum; & consequenter neglectum & contemtum literarum: deniqve, *nec a scriptoribus Svecis*, qvi conversionem Fennorum, & ad Sveciam accessionem narraverant, *qvidqvam de florentibus hic tunc artibus liberalibus nominari.* qvæ eqvidem suis non diffiteor suffulta esse rationibus. attamen, haud minora his confido, qvæ in adversam me inclinant partem: nimirum ut a primis initiis rem explicem; *habuisse Svecos literarum elementa priusqvam Latinos;*

a multis (a) prolixe probatum eſt: *illa vero adinventa a Cimmeriis* (b), totam Lappmarchiam & Bothniam incolentibus; *a qvibus promontorium Boreale ultimum* Kimmers-Näs & Nortkin (c). *fuiſſe enim hominum ſeptentrionalium ultimos* (d): (ideoqve in proverbio: *Cimmeriæ tenebræ*; intelliguntur craſſiſſimæ; nec enim majores dantur, qvâ in ſeptentrione ultimo, ubi continuas ultra mentem tenebras habent) *& ſubtus arcton habitaſſe* (e); *ita ut parum diſtaret polus a Zenit eorum* (f): *atq; eſſe eoſdem, qvos nunc appellamus* Kimiboar/Kimilâiſet (g): atqve hos, partem Finniæ noſtræ conſtituere (h), non infans eſt qvi ignorat; unde etiam *ſub Finnia Cimbri collocantur* (i): *fuiſſe præterea Cimmerios Schytas* (k), *ſe in duas partes dividentes, qvarum una Sarmatis Aſianis obverſa, ad Caſpium uſque excurrit*; qvos haud facile qvis Finnos inficiatur, eſt enim Finlandia Schytiæ Europææ pars (l), & Scandia-

(a) *Joh. Magnus l. 1. c. 7. Ol. M. l. 1. c. 20. Bon. Vulcan. de lit. & ling. Get. Wex. l. 3. c. 3.* (b) *Atl. Rudb. b. 164.* (c) *Atl. Rudb. a. 527.* (d) *Ptolomæus.* (e) *Diodor. Sicul. l. 6.* (f) *Plutarch. in Mario.* (g) *Atl. Rudb. b. 610. & paſſim.* (h) *Laur. P. Goth. l. 1. c. 26. 27. 28.* (i) *Horn. in Atl. Rudb. a. 521.* (k) *Herod. l. 4. Niceph. Greg. Hiſt. Rom. l. 2.* (l) *Laur. Paul. l. 1. c. 26. Wid. Lum. Chr.*

diani omnes Schytæ (*a*); *alteram in Europam profectam, & omnẽ Oceani oram pervagatam, Sarmatarũ & Germanorũ sibi nomina vendicasse:* istos Svecos & Gothos existimo. qvæ dicta talẽ conclusionẽ formant; qvod *Cimmerii, qvorum propago, vel pars, æqve Finni atqve Gothi fuerant, literas invenerit; eæ etiam utriq; eisdem sunt gaviſi.* appellatæ sunt eæ a Svecis **Runor**: nobis carmina **Runoi** vocantur, unde affinitas patet.

§. 31. Nunc examinabo causam defectus monumentorum; qvæ alia se mihi non offert; qvam qvod *abolitæ sint illæ literæ, post adscitam religionem Christianam, ut simul horrenda illa prisca idololatria exstirparetur,* ad exemplum Svecorum (*b*); qvi absqve dubio ejus negotii causæ administræ, nuper victores, has gentes, non ita pridem infensissimos hostes non potuerunt non odisse: qvod comprobatur, ex vili illa conditione & *servitute ferme, qvam Finnis primum imposuerant* (*c*). sicut & Norwegorũ, postqvã Daniæ subjecti sunt, potentia, sub alieno sceptro declinavit (*d*). nec enim alias de duratura eorũ subjectione securi esse potuissent: sed postqvam

(*a*) *iidem & Verel. in not. ad Herwor. c 1.* (*b*) *Locc. Ant. Goth. l. 2. c. 14. Petr. Petrejus in Chron. Svet. p. 59. Wex. l. 3. c. 3.* (*c*) *idem l. 4. c. 11.* (*d*) *Horn. Orb. Pol. part. 3.*

po-

populi fidem exploraverant, ſocios eos fecere: atqve ex primo illo odio, eo accuratius gloriam horum extenuare, qvacunqve ratione qvirent, voluerunt, *non commodius ulciſcendo priores clades ſuas, qvam hoſtilis gentis*, & nunc victæ *vituperiis* (*a*) & extenuatione: atqve ſic ultima etiam monumenta excidiſſe: cujus rei non minimum argumentum erit, qvod ne unicum qvidem nomen hominis proprium Fennicum magis inveniatur, aliis lingvis illorum ſemper aliqvot ſervantibus: fuiſſe ſane & noſtratibus, nemo ſanus negabit. eadem cauſa eſſe poterit, qvod primis poſt converſionem ſeculis duobus, nihil ulli hiſtoriographi Sveci de Fennis, memoraverant: nec depreſſis tunc Finnis ille animus aut licentia fuerat. *poſtea vero conſcriptas fuiſſe Hiſtorias maxime ſtatuo*, ſed in archivo Finlandiæ, arce Cuſtoënſi, præcipua ſcripta interiiſſe (*b*). præter allata argumenta, *ratio etiam dictitat noſtris fuiſſe literas*; non potuerunt iis carere, cum vicini & interdum confœderati iis gloriarentur: nec tam fuiſſe ſtupidos, ut iis non uterentur, qvæ habere potuiſſent, etiam a ſe ipſis; *tam enim ſagacis ingenii ſunt ſeptentrionalis hujus plagæ ho-*

(*a*) *Jo. Lud. Goth. Arch. Coſm. de Mor. Su.* (*b*) Ajant.

homines, ut quanquam neque Gothicas, neque Latinas literas unquam didicerint, sibi ipsis ex rerum figuris & instrumentis, alphabeta componant (a). commonstrat idem baculus Runicus, a qvibusdam prolixe descriptus (*b*), & nostris diutissime usitatus; qvi tamen post coalitionem cum Svecia, dici posset usu receptus; nec tamen de temporibus prioribus commode negari. cordato de singulis liberum esto judicium.

§. 32. Nunc ergo ad Christiana tempora descendam; qvo in statu, *res literaria* iisdem fuerit incertus, usqve præsens seculum: solum considerans, temporibus, tam insignium Doctrina & eminentia Episcoporum, *qvorum duo Rectoris Magnifici munus Lutetiæ Parisiorum obierant, ut sunt (c) Sec. 14. Epist. 14. Johannes Petri, & Sec. 18. Ep. Olaus,* neqvisse humaniora studia esse inculta: sane, qvod literis gavisi fuerint, extra controversiam est. Qvi vero in artibus liberalibus progressus, hoc sint tempore, ex qvotidiana experientia, exteris qvoqve constat. Ingens, in *Schola publica* est puerorum numerus, 300 superans; præter *tot privatis præceptoribus utentes*; cum

(*a*) *Ol. M. l. 1. c. 20.* (*b*) *Kexl. Comp. Wex. l. 3. c. 4.* (*c*) *Wex. l. 10. c. 11.*

cum ferme nullus sit tam pauper urbicus, qvi non unum aut plures filios, literis incumbere faciat & scientiis imbui. Qvam egregia illis exercitia, & qvales succeſſus, siqvidem prolixum foret; mei, brevitati studentis, instituti non est enarrare. Sufficiat, de ipso Musarum domicilio, *Academia* nostra, dixisse: esse illam non inter minimas; si vel *excellentiam Docentium* spectaveris: aut *discentium diligentiam* observaveris & *frequentiam*; sive etiam studiorum, qvibus vacant, *sublimitatem* atq; *florem*, malueris attendere: sunt *Illi* nobis, breviter ut dicam, optimi, celeberrimi; & qvod præcipuum in eis reqviritur, claritudo scientiarum insignis, imo maxima; qvæ se qvotidie in publici muneris occupationibus, aprico satis exponit, & egregii ab ipsis libri editi & conscripti, aliaqve ingenii monumenta, plenis prædicant buccis. *ipsos*, numero DCC, ante lustrum adsuisse compertum est; qvanqvam præterlapsi temporis caritas, eos prohibuerit in urbe vivere, sed rus compulerat, ubi victum minori comparant: nunc autem, DEO laus, redeunte paulatim benedictione, denuo urbem invisere cœperunt. qvanta sit eorum diligentia, indies testatum faciunt; licet in

tanta

ranta freqventia, qvod nunqvam & nuſqvam exſpectandum, omnes boni non ſint, juxta proverbium noſtras: Seculainen Seuracunda. *Hæc* ad tantum faſtigium aſcenderant, ut dicere de iis liceat cum Bodino (*a*): *ſcientiarum vulnera, ab iis ipſis, a qvibus erant illata, ſanari.* verſantur enim in omni ſcibili; deqꝫ eo, tam ſolide & accurate, ac alibi unqvam fieri poteſt, diſputant: qvamvis his omnibus ogganniant exteri invidi, & nihil æqvi, de imperii Svetici membris judicantes, exiſtimando, *ſuæ demtum gloriæ, qvicqvid ceſſiſſet alienæ* (*b*). Qvi partium ſtudio non ſunt affecti, pervideant, num vera ſunt iſta.

§. 33. *Lingva*, Aboæ, qvanqvam & Svecica in uſu ſit, vernacula tamen eſt cum toto Ducatu communis, a Finlandia, Finnica dicta, ipſi ſibi Suomenkieli. qvam cardinalem eſſe, ſupra (*c*) probatum eſt: nec vetat, ni probat idem, inſignis illa, in ſuffixis & affixis, conjugationibus & aliis, cum Ebræa convenientia (*d*), & in vocib9 cũ Græca. nunqvam eam reformatam audivi, ſed eandem ſemper rerentam fuiſſe: niſi qvod dialecti-

M bus

(*a*) *Meth. Hiſt. c. 12. de Goth.* (*b*) *Curt. l. 6. c. 1.* (*d*) *C. 2. §. 2.* (*e*) *Diſputatum eſt de ea hic a Anno 1697 in Novemb.*

bus variet innummeris. qvarum puriſſima, meo judicio, eſt ea, qvæ in parœciis Loima & Hwittis viget: qvibuſdam Tavaſtenſis, aliis alia placet. proprium ei eſt, nec aliis commune, nullum habere *genus*: & euphonicum qvendam *accentum*, in omnis, qvotcunqve ſyllabarũ, vocis prima, etiamſi ſeqventes præterea tonicũ admittant: plures etiam, in caſibus, pro ratione articuli, vel præpoſitionum, *terminationes*. *Literæ* eædem cum Svecis & Germanis, præter Ö/ qvod Fenni non agnoſcunt; & F, ſolum in vocibus ex Svecica derivatis, uſitatum. qvindecim ergo puræ Fennicæ ſunt *Conſonantes*: b/ c/ d/ g/ h/ k/ l/ m/ n/ p/ r/ ſ/ t/ x/ z. *Vocales* octo: a/ e/ i/ o/ u/ y/ å/ ö. *Diphtongi ſedecim*: ai/ au/ ei/ eu/ ie/ iu/ oi/ ou/ ui/ uo/ åi/ åy/ öi/ öy/ yi/ yö. *literæ* b/ d/ g/ in principio vocum non reperiuntur; nec ſæpe duæ conſonæ. peculiarem qvoqve, & nulli alii fermonis generi notam, *pronuntiationem* ſibi vendicant literæ dz vel tz conjunctim; aliis nationibus valde difficilem & ferme impoſſibilem enunciatu, niſi aliqvid temporis impendant: qvam nos efficimus, adjungendo ſuperioribus dentibus lingvæ extremum, medium vero palato, addito deinde

inde flatu. *negatio* præpoſita verbis, verbum eſt, & conjugatur; *verbum* vero ſeqvens, perſonas amittit. nullam qvieſcentem patitur literam; qvod tamen in aliis plerisqve lingvis uſu venit. plura de hoc idiomate cognoſcere volens, adeat Grammaticos (*a*). peculiaris hujus lingvæ eſt *poëſis*: ubi præter *Lamdaiſmum*, atqve ſyllabas in qvolibet verſu octo, etiam elegantia vocum attenditur, & vocalium convenientia: acceſſit his temporibus *rhythmus*. illam artem non doctiſſimi alias magis callent, qvam ruſtici; qvibus, ut de Arcadibus traditur (*b*), ingenitum eſt, de qvalibet materia, in inſtanti, carmina canere elegantiſſima: qvod peregrino qvidem creditu impoſſibile eſſe poterit; at nos toties experti novimus, apud noſtros præſertim, *naſci Poëtas, non fieri.*

§. 34. *Cum nulla gens tam fera & immanſveta ſit, qvæ Deum, etſi qvalem ignoret, habendum tamen ſciat* (*c*); *ſic etjam* neqvivere majores noſtri non eſſe imbuti aliqva ſummæ poteſtatis divinæ reverentia, qvæ *religionis* venit nomine. modũ tamen hujus cultus, & objectum

(*a*) *Inſtit. Ling. Finn. D. Æſchilli Petræi. Hodeg. Finn. Martinii. Wex. c. 10. l. 3.* (*b*) *Phil. Sidney. Arc. l. 1. c. 6. Virg. Eccl. 10. v. 32. 33.* (*c*) *Cic. l. 1. Tuſc. qv.*

ctum invenire & luci dare, non minimus erit labor; cum & hoc aperte, ex nullis habeatur teſtimoniis ſcriptorum. verum enim vero, cum digniſſima, ut probavi (*a*), ſit ſententia, Magogum nepotem Noachi, primum exſtitiſſe noſtræ gentis ſatorem; haud difficulter, ſincero animo perpendenti perſpicuum fiet, illum ſuosqve comites, optime ſane a patre & avo, *qvi Theologiam & ſacros ritus humanum genus edocuerat* (*b*), in veri DEI recto cultu fuiſſe inſtructos: adeoqve veram, hic primum, reliqviſſe religionem: qvam, primo vel altero ſeculo, non fuiſſe mutatam, pietas credere jubet: ſubſeqventibus autem temporibus, inconſtantes mortalium animi, tam hic, qvam alibi, in pejus vergere cœperunt, & ex importuno tædio illius inviſibilis DEI, ſibi ipſimet formare palpabilem. imprimis qvidem, ut exiſtimo, ea intentione, ut tale retinerent ſymbolum, ne ex memoria laberetur verus ille, cum ſenſibus non eſſet obvius; donec iſtum deinde creatum creatorem, increato oblivioni tradito, pro vero venditare, & ſumma veneratione proſeqvi, ordirentur. qvem, ex priſtino, ſanctiſſimi Numinis nomine, Jumala vocatum, haud dubi-

(*a*) *hoc cap. §. 4.* (*b*) *ap. Wex. l. 14. cap. 1 Berof. Cal.*

dubito; eundemq́ esse, ab antiqvis celebratum Biarmorum Deastrum, nobis ostendit, cum, tactum nomen vere Finnicum & adhuc durans, tum, qvod & sint Biarmi Finni (*a*), qvod in Historia dicatur, *emporium juxta templum prædicti DEI exstitisse*, & urbem aliqvam in Finlandia fuisse, ne minimum qvidem vestigium apparet, præter nostram Aboam; haud inconvenienter illud tanum, hic prope Aboam, vel in ipsa urbe fuisse locatum, concludo: præsertim, cum dicatur nominatis in locis, *fluvio ad urbem vectos illos advenas*. nec moror, fluvio ibi assignari *nomen* Wieni; qvod postea facile immutatum esse potest: ut nihil usitatius sit, qvam nomina regionum, urbium, fluviorum &c. variari, corrumpi & mutari; sit exemplo eadem Biarmia, qvod nomen nunc plane periit, nec ulli loco magis aptum, hunc Jumala/ eundem esse, qvi a Sveogothis sub nomine Thor cultus fuit, significat sacrificiorũ similitudo; & qvod appelletur (*b*) Thor *DEUS Finnorum*. præterea, qvod *sub nomine* Thor/ *a Svecis, verus imprimis Deus fuerit adoratus* (*c*): ut modo etiam, de nostratium Jumala/ probatum est: nam

(*a*) *Chron. Norw. c.* 21. *Bur. p. m.* 41. (*b*) *cit. l.*
(*d*) D. Bångz *Hist. Eccles. Svecia.*

nam hæc vox Fennice DEUM, ista Svetice (a) denotat.

§. 35. Forma cultus eorum hæc fuit: *per quot annis, stata sacra celebrarunt, ingentibus conviviis: scyphis Ethnico ritu benedixerunt: boves & equos immolarunt; sanguine sedilia inunxerunt. autumno, ut tolerabilem hyemem experirentur; media bruma atque æstate, tum pro felici annona, tum pro pace obtulerunt. item: excelsam habuerunt statuam, manu factam, intusque excavatam, scamno insistentem; & malleum manu tenentem; cui indies cibum ingesserunt, hanc ad cultum, rustici in apricum portarunt, auro & argento ornatam in medio collocarunt, eique flexis poplitibus & corporis inclinatione venerationem exhibuerunt. hujusmodi quoque statuas, in deserto sub ingentibus saxis reposuerunt, & juxta thecam incantatoriam; ex qua aperta ingentes muscæ cæruleæ egrediebantur. thecas tales singulæ familiæ habuerunt; & in hæreditate acceperunt* (b). peculiaria quoq; in qvibusdam Finniæ regionibus numina, ab incolis sibi acqvisi visse obsequiũ, observatũ est (c). ut'a Careliis Rongotheus &c. Tavastiis Turisas/ &c. ab aliisque alia. sed ista & minus celebria, & cele-

(a) *juxta eundem lib. 6. c. 19.* (b) *Chron. Norw. Wex. l. 10. c. 12.* (c) *ab Sigfr. Ar. Forsio. Hist. Eccl. Sv.* Bång. *Wex. l. 10. c. 2.*

ut opinor, Aboæ existimatione cassa, silentio præterire, brevitati litans, consultum duxi.

§. 36. Immanis illa idololatria, majores nostros, in avernali caligine diu detinuit, usqve A. salutis reparatæ 1151: dum opera Erici 9 seu Sancti, ut prius dictum (*a*), & Episcopi Henrici Sancti Angli, *ad cognitionem Christi Salvatoris*, pervenerunt Aboënses nostri, cum tota Finlandia stricte sic dicta: nam sub Erico XI Tavastia demum (*b*), & deinceps aliæ nationes Finnicæ conversæ sunt. sed illa (proh dolor) cognitio, obfuscata erat papalium missarum nebulis, qvæ cum sanctorum invocationis nube, ipsum mitissimum splendidissimumqve *justitiæ solem*, e hominum animis penitus abstulerunt: donec (in æternum DEO laus) discussis tenebris, rediret A. 1528, opera Spiritus Sancti, instrumentum suum aptissimum, Gustavum 1, Regem beatissimum, illuminantis. ex qvo, infucata vera *religio Evangelica*, invariata semper mansit. cujus præcipuam curam, piissimus Magistratus summus, in toto SveciæRegno, semper gesserat; qvod tot severa edicta, de veræ religionis sincero amore, perhibent, & unanimi omnium regni statuum consensu, re-

(*a*) *c.2.§.9.* (*b*) *Locc. ann: Sv. l 3. c. ult: Wex. l. 9. c. 108.*

renovata unio hæreditaria (*a*) declarat: *nemini, alius religionis, in hoc regno licere commorari.* qvod tamen nunc sic immutatum est; ut liceat qvidem hic & heterodoxis habitare; at hac cautione, ut nemini perversam suam opinionem tentent ingerere; sed suos qvoqve liberos, teneantur, nostræ religionis præceptoribus informandos dare, & eadem nobiscum doctrina imbuendos (*b*). ex qva tamen lege, Ingriam habitantes Moscovitæ, exemti sunt. adhæc, veræ pietatis Zelum, tam apud nos, qvam totum imperium, arguit *concilium* illud magnum *Upsaliæ* habitum A. 1593: & *Jubilæus*, in felicem ejusdem memoriam, exacto seculo, cum gratiarum actionibus pro divina illuminatione peractus. Qvotanis qvoq; a tempore Gustavi Primi, & A. 1544, edicti fuerant a Regibus nostris, tres solennes *dies precationum*, donec A. 1676 qvartus a glorioſæ Memoriæ Rege CAROLO XI adjectus sit, qvam sanctissime obeundi. nec minimum momentū, veræ pietati afferunt, ferme qvotannis hic usitatæ *Synodi*; in qvibus, totius propediœceseos Clerꝰ convenire solet, ibiq; disputando & aliis exercitiis, se in veri DEI cultu confirmant; consultantq;, qvibꝰ me-

dii

(*a*) *Norcopiæ A. 1604 facta*: §. 6. (*b*) *Lex Eccl.* c. 1. §. 5

diis idem semper promoveri possit. Accedit annua *visitatio Præpositorum*, in unaqvaq; Ecclesia; & *Episcopi*, post triennium: præter ipsorum Pastorum, omnibus Sabbathis institutum *examen*, cum suis auditoribus, tam ruri, qvam in urbe. qvapropter etiam, ut pauci ex juventute agresti, sic ferme nullus in urbe invenitur, qvi literas vernaculas non addidicerit. tenetur insuper qviliber, vel Sacra Synaxi usurus, vel conjugium initurus, secundum Lutheri Catechismum, qvem memoriter calleat, suæ salutis rationem reddere. peraguntur porro *Sacra*, *in Templo Cathedrali*, *Finnice & Svetice*, alternis vicibus: duabus nimirum utriusqve lingvæ concionibus, diebus Dominicis: diebus Martis & Jovis etiam Fennice; Mercurii autem & Veneris Svetice; reliqvis omnibus, fusis mane utraq; lingva precibus, a Pastore & Sacellanis utriusq; Ecclesiæ: sed & ante annos præter propter 70 vel 80, in eo loco, ubi jam Bibliotheca Academiæ est reposita, Conciones Germanicas habitas fuisse, pro certo constat. ad *arcem*, & ad *templum D. Michaëlis*, ivus utrobiqve est Pastor. qvo fit, ut *pietatis studium* hic (laus clementissimo Numini) magis qvam ullibi, efflorescit; qvanqvam id

nunqvam ad ſufficiens faſtigium, inter perverſos mortales qveat aſcēdere, nec ulla qvāvis ſeveriſſima lege, improbis injungi. ex ea tamen diligentia, qvæ iis rebus, hic, qvantū poſſibile eſt, maxima, adhibetur, apparet cōmode in nos derivari, ex DEI gratia, divinum illud oraculum (qvod Academiæ noſtræ ſigillum habet) EX AQVILONE & MARI CONGREGAVIT EOS (*a*): & alterum: IN SEPTENTRIONE REQVIESCET SPIRITUS MEUS (*b*). Qvem in æternum, ſuper nobis, Clementiſſimus Pater reqvieſcere ſinat.

§. 37. Atqve ut ex veræ religionis cultu, & divinorum præceptorum obſervatione, *virtutes & boni mores*, originem habent; ita ex eorundem neglectu, vitia homines occupant, & mores omnes pravi, ex ea radice propullulant. qvare de noſtræ gentis, adeoqꝫ & Aboæ incolarum moribus, nunc, ultimo loco, paucis agam: qvamqvam ſpecialiter de Aboënſium priſtinis moribus nihil habeam, & exigua prorſus etiam de Finnis, in univerſum inveniantur tradita; tamen, qvod de his accepi, etiam illis, utpote ejuſdem nationis, convenire, haud dubito; obſervato ſic hodie illud procedere, per ſingulas igitur virtu-

(*a*) *Pſ.* 107. *v.* 3. (*b*) *Zach.* 6. 8.

virtutes ambulando, qvæ illis applicari poſſunt, de iiſdē teſtimonia, perſpiciā. *Pietatem & juſtitiam*, Innuunt iſta: *ſecuri ſunt adverſus homines Finni, ſecuri adverſus Deos, rem difficilimam aſſecuti, qvod ipſis nec voto opus ſit* (*a*). qvæ enim illa ſecuritas adverſus Deos? niſi qvod ob pietatem & juſtitiam, nullam ab ipſis pœnam metuant. par eſt; qvod dicantur *Cimmerii mortalium omnium juſtiſſimi* (*b*): qvorum progeniem Finnos eſſe monſtravi (*c*). *& boreales hi injurias non inferre ſveti* (*d*). inſignis eorum *Fortitudo*, abunde oſtenſa eſt in prioribus (*e*). *Manſveti ſunt Fenni mitiſſimi, Scanziæ cultoribus omnibus mitiores* (*f*). *nulla illis gens tardior ad iram, nec acrior ad vindictam* (*g*). *ſunt iracundi & cito vindicantes, poſteaqve placabiles* (*h*). *ut omnes Hyperborei Hoſpitalitate inſignes* (*i*); ita præcipue etiam *Finni ſunt Liberales* (*k*): adeo ut uberioribus annis, totam pe-

(*a*) *Tacitus de Germania.* (*b*) *Homerus apud Rudb. in Atlant. a* 813. (*c*) §. *hujus cap.* 30. (*d*) *Barcl. Icon anim c.* 15. (*e*) §. *h. c.* 18. *&* 21. (*f*) *Jornandes de Goth.* (*g*) *Joh. M. L.* 7. *c.* 7. (*h*) *Wex. L.* 4. *c.* 5. (*i*) *Ad. Brem. And. Bur. Phil. Hon. Geogr. Croix. part.* 2. *c.* 8. (*k*) *Ol. M. l.* 4. *c. ult. Joh. Ad. Olearius itinerar. Perſic. Wex. lib.* 4. *cap.* 5. *Ziegl. in ſua Scondia.*

pene regionem, qvis peragrare potuiſſet, abſqve minimi nummi expenſis, pro ſuo cibo vel eqvi pabulo. unde etiam Suomenma dicta eſt a Suominen: qvæ vox *favorem* erga qvolvis, & *hoſpitalitatem* ſignificat. *Frugales & patientes* ſunt, & *honeſta paupertate invicti* (a).

Non Fennis hoc ſole dies, non ducere noctes
Eſt labor, aut duram glaciem donaſſe qvieti,
Aut membris preſſiſſe nivem. gens mollior oſtro
Et pluma meliore cubet; non pelle ferina,
Tomento non Fennus eget. nunc ſimplice victu
Propulſanda fames, nunc reſtat flumine puro
Reſtingvenda ſitis (b). & mox:

- - - - edocta metuenda pati

qvanqvam nec opes, ad victum neceſſariæ deſint; ſed ſic ſe gerere poſſunt, ſi opus eſt: namqve,

Durum a ſtirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, ſævoqve gelu duramus & undis.
At patiens operum, parvoqve aſſveta juventus,
Aut raſtris terram domat, aut qvatit oppida bello (c).

Ve-

(a) *Heinſii paneg. ad Guſt. Ad. p.* 25. (b) *Pierius Winſem: in Paneg. ad eundem. proſe Heinſ. eadem*
(c) *Virgil. Æneid. l. 9. verſ. 603. & ſeqq.*

Veraces sunt & *Fidi* (*a*): *nec datæ dextræ fidem violant* (*b*): præcipue *fide in Reges laudandi* (*c*): & *unius obedientia invicti* (*d*). imo sic gens hæc

In Regem defixa suum, quo verteret arma,
Unum prona sequi, seu certa in fata ruendum,
seu virtus quærenda foret (*e*). - - -

sunt item *Humani, & morum elegantia laudabiles* (*f*). *homines laboriosi* (*g*) *& impigri a labore non abhorrentes* (*h*). *idonei ad quasvis scientias* (*i*), *non tantum mechanicas disciplinas, & artes, sed etiam speculationes, & idiomata quæque* (*k*). *linguarum, artium & scientiarum capacissimi, valdeque acuti, ut in his nulla gens magis excelleret; nisi pluribus intenti, in singulis impedirentur* (*l*). qvod vitium virtute temperare jam norunt; utinã similiter abjicerent plerique, abjectã illã *exterorum admirationem, nimium privati commodi studium, & sui ipsius contemtum* (*m*); accresceret continuo existimatio, dummodo eam ipsi, aliqvatenus sibi attribuere vellent, nam *tanti eris aliis, qvanti tibi fueris*. dictorum omni-

(*a*) *Wex. l. 4. c. 5. Croix. Geogr. p. 2. c. 8.* (*b*) *Barcl. Ic: an. c. 15.* (*c*) *Wex. l. 4. c. 6.* (*d*) *Heinf. cit. loc.* (*e*) *Pier. Winf.* (*f*) *Wex. cit. loc.* (*g*) *Narsi in Poëm. misc.* (*h*) *Zeill. p. 29. Bur. p. 55.* (*i*) *Bur. tabul. orbis arctoi. & Ol. M. loc. innum.* (*k*) *Hon. de st. Sv. c. 6.* (*l*) *Wex: locis allatis.* (*m*) *ibidem.*

mnium epitome eſto: *non, ut cæteri ubiqve, nummo, ſed virtute, & cætera, & hunc, parant Finni (a).* & *ſapientiam, ut Gothis antiqviſſimis præcepta, ita Finnis & Sveonibus natura dictat (b).*

§. 38. Hæc erant, qvæ de prolixa hac materia, anguſtiæ harum pagellarum, ex brevi tenuis judicii menſura, includi potuere: qvamobrem, qvos hic, benigne Lector, nævos & defectus obſervas, multos certe agnoſco, cenſura mitiori protege; ut ea facilitate tua, etiam plures, qvibus validior ſapientia animus eſt, ad celebrandam patriam noſtram inſtigentur. qva ſpe alacris, his, divino auxilio, qvalitercunqve peractis, laſſam tollo de tabula manum.

(a) *Dan: Heinſ: paneg: ad Guſt: Magn: p. m. 26.*
(b) *idem p: 16.*

SOLI DEO GLORIA!

Mieli-

Mieli-Ilon Julistus/

Sen Cunnioitettawan ja Hywin Oppenen/

Her DANIEL JUSLENIUXEN/

Merkillisen Työn ylitzen.

Josco johduis jär keheni/
päädyis parast pähähä
Totta tässä toimitaisin/ (ni:
Sanat selwät sowitaisin/
Hanhē höyhönd hälytäisin/
Turjen kyná culjetaisin/
Kijtoxexi cuulu culdain/
Niesten mennein poween
muldain:
Jotca juonet/ [illegible]ken [illegible]äneill/
Wanhain/ wetä woitox wä-
leill:
Tämä muista Ruomalaisi/
Tomen totta Saxalaisi/
Ettei Soimu sawutaisi/
Lateen kieli cadotaisi
Nime näiden: kijtos callis
Ijoing' ombi nijllen aldis/
Jotca Omain Isäin Me-
noi/
Tiedox teke xojmi Tegoj/
Wieran Silmät sillä täyttä
Että codon kelwox näyttä.
Tämän tiesi toimellinen/
Taitawainen TANELI-
NEN/

Uron Uljan caunis Cuopoi:
Ey tahd' Taatan Tawoist
luopu/
Walwo wircons wiriästi/
Kijstas culke kijndiästi/
Ahnest awuin awaroita
Tutkistele tawaroita/
Wijsaun willa pyrki pyytä:
Ey tät' toimit ilman syytä:
Tästä toiwo Cuñian cuulla/
Näimbä kelpa cuñian tulla.
Etteik' olis oudommaisin/
Mais Mies omis muuca-
laisin: (sta
Laiscain luocast sentähn sui-
idzens/ Isän maata muista/
Kijtoxell' cuing' sitä coh-
dais/
Laitoxet sen laitta mahdais.
Eipä sopin soweliammast/
Millän tawal taitawam̄ast/
Tehdä taitons Tawaroita
Tiettäwäx/ cuin haparoita
Pyysi pitkäld' Suomen
Saaren
Mennet Menot/ awuin
Caaren/ J-

Jsot Jhmet/ Tegot tehdyt/
Saalin/ sadon/ sekä Säädyt;
Lijoiteng' täs' työsäns luista
Kätens' cansa kynäns' suista/
Kirjottamä Turun Tuwist/
Caduist' cowist'/ cansa cu-
jist'/
Kircon muista/ mingä werta
Muis' ey maisa monda kerta
Hawait' saada/ sekä selwän
Oikiä Opin/ Luojall' kelwan'
Linnan lujan/ Muurit/
Wallit/
Tornit/ Krawit/ Huonet
callit:
Näyttä wielä Wijsaun
Waja/
Meistē nuortē Mieli Maja:
Kehu cocoo caunein kirjain/
Jotca woitox wäändy wir-
jäin:
Oikiun ohjat Turun parras
Näyttä/ cuinga Hurscas/
harras
Wääryn wäldös/ wicain
wastus/
Nijs' on/ ettei coscan astuis/
Wäkiwalda köyhän cotoon;
Näit' meill' Jumal' wielä'
suocon!

Kersca kerrä/ cuinga käyt-
Cauppaa kelpa/ aittoi täyt-
Embä ennät eritellä/ (tä.
Mitä mahta mainiskella/
Tuttu tämä taitawainen/
Nuhtetoinen Nuorucainen/
Cuuluis' Caupung' kijtoxe-
xes/
Cauppa- kylä Cunniaxes.
Sijs sä hänel kijtost lupa/
Johong joutu Turun Tu-
pan/
Löyt' ett lem̄en joca Miehen/
Corkian/ halwan/ suuren/
pienen/
Suo myös sitä Suomi
suuri:
Josco jouduis julki juuri/
KIJTTÄJÄ kijtettä-
Miehexi merkillisexi. (wäxi/
Mä myös welast weljellisest/
Toiwon totta mielellisest/
Että Cunnias cohta cas-
wais/
Kijtoxes myös määrät pal-
suis!
Sieluin Salijn wijmein
wäännny;
Cus' ei Cunnias coscan
käännny!

Sic cum Fennis, Fenno, ipse Fennus,
Fennice gratulari studuit

JO. POLVIANDER.